

DE

# APOLLODORO ATHENIENSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXI. M. IUNII A. MDCCCLXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS FUNK
FRIDLANDIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
A. HELMSDOERFER, STUD. PHILOS.
H. LOHSEE, STUD. PHILOS.
P. WEISSENFELS, PHILOS. DD.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

1871, Oct. 14.
Salisbury Fund.

PATRI CARISSIMO

EIDEMQUE

PRAECEPTORI DOCTISSIMO.

Jacuerunt longo intervallo Apollodori studia neque ejus scripta, quamvis essent illustranda atque emendanda, ullum habuerunt lumen litterarum. Quod eo magis mirum est, quod neque qui et in fabulis veterum et in rebus a Graecis barbarisque gestis versaturus est, Apollodori scriptis potest carere neque quisquam veterum auctorum est, de quo et superiores et recentiores viri docti tam diverse tamque divise judicaverint. Ab illis quae de Apollodori scriptis dicta sunt, cum partim refutata partim probata essent, ea mihi negligenda esse arbitratus sum. Ex recentioribus autem praeter ceteros Heynius, vir doctissimus, nominandus est, qui summa doctrina instructus Apollodori scriptis afferre conatus est lumen. Quo qui plus profecisset in emendandis et interpretandis locis singulis, exstitit nemo: sed quam de scriptis Apollodori sententiam aperuit, eam ut probem, a me impetrare non possum. Ejus sententiae

Aegius Spoletinus „Apollodori bibliotheca“ Romae 1555.
Vossius „de hist. Graecis“ pag. 132.
Thom. Gale „Hist. poët. script. ant.“ Paris 1675.
Heynius „Apollodori bibliotheca“ Goetting. 1803.
Clavierus „Apollodori bibliotheca“ Paris 1805.
Welcker „Episch. Cycl.“ pag. 80 sqq.

paullo post contrariam attulit Claviėrus, sed cum parum diligenter et accurate Apollodori scripta perspecta atque explorata haberet, a vero mihi videtur aberrasse. Inter hos tantopere dissentientes medius est Welckerus, qui quamvis breviter in libro, qui cyclus epicus inscriptus est, de Apollodoro disserat, tamen ad quas rationes ei, qui de Apollodori scriptis, quae et quot sint, quaestionem habiturus sit, omnia revocanda sint, exponit. Ejus auctoritatem secutus denuo hanc rem in disceptationem et quaestionem vocare constitui.

---

Quae de Apollodori vita tradita accepimus, pauca sunt. Quo anno natus sit, nescimus. Asclepiade patre natum eum, cum adolevisset, philosophiae magistro usum esse Panaetio Rhodio, grammaticae Aristarcho Suidas[1]) memoriae prodidit. Adde quod Scymnus Chius V. 16[2]) eum cum Aristarcho Diogenem Stoicum audivisse narrat. A Suida dissentiens Galeus „Diss. de script. Myth.", cum Stephanus Byzantius s. v. *Νίκαια*[3]) Nicaeensem

---

[1]) Suidas: *Ἀπολλόδωρος, Ἀσκληπιάδου, γραμματικός· εἷς τῶν Παναιτίου τοῦ Ῥοδίου φιλοσόφου καὶ Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ μαθητῶν, Ἀθηναῖος τὸ γένος· ἦρξε δὲ πρῶτον τῶν τραγιάμβων.*

[2]) Scymnus V. 16: *γεγονὼς ἀκουστὴς Διογένους τοῦ Στωικοῦ συνεσχολακὼς δὲ πολὺν Ἀριστάρχῳ χρόνον.*

[3]) Stephan. s. v.: *Νίκαια· Ἐξ αὐτῆς Ἰσίγονος καὶ Ἀσκληπιάδης καὶ Παρθένιος καὶ Ἀπολλόδωρος καὶ Ἐπιθέρσης γραμματικός.* Quo loco Muellerus Fragm. Hist. Graec. Vol. I, pag. XXXVIII opinatur „Apollodorum Atheniensem intelligendum esse, cum propter Chronica Pergami regi dedicata veresimile sit eum diutius Nicaeae in Bithynia egisse: ut Nicaeus eodem jure appellaretur, quo Asclepiades ille dictus esset Myrleanus". At mihi probantur, quae a Nauckio allata sunt, qui pro *Ἀπολλόδωρος* scribendum esse *Ἀπολλωνίδης* statuit.

Asclepiaden grammaticum quendam exstitisse tradat, Asclepiaden non patrem fuisse dicit, sed alterum grammaticae praeceptorem, ut Apollodorus binos praeceptores et philosophiae et grammaticae habuerit. Quae controversia, cum certis testimoniis temporum invidia careamus, dijudicari non potest. Sed quibus temporibus Apollodorus Atheniensis floruerit, satis plane ex Scymni verbis apparet. Dicit enim Scymnus[1]), qui fere Apollodori aequalis erat, res a Graecis barbarisque gestas Apollodorum ab anno, quo Troja capta esset, usque ad suam aetatem conservatis notatisque temporibus uno libro colligavisse spatiumque annorum mille quadraginta ad calculos vocavisse. A Troja capta usque ad primam Olympiadem quadringentos octo annos intercessisse Apollodorus ipse docet[2]), ex quo cognoscamus captam esse anno millesimo centesimo octingentesimo quarto a. Chr. n. Trojam: unde subductis annis mille quadraginta, quos Apollodorus ad calculos vocavit, eundem substitisse apparet in Olymp. 159. 1. Ptolemaei Euergetae secundi anno altero et anno decimo sexto Attali secundi Philadelphi, cui opus erat dedicatum. Ergo inter Olymp. 150 et Olymp. 160 videtur Apollodorus Atheniensis anno

---

[1]) Scymnus Chius V. 16 sqq.:
*συνετάξατ' ἀπὸ τῆς Τρωϊκῆς ἁλώσεως*
*χρονογραφίαν στοιχοῦσαν ἄχρι τοῦ νῦν βίου.*
*Ἔτη δὲ τεσσαράκοντα πρὸς τοῖς χιλίοις.*

[2]) Diodor I, 5. Mueller fragm. 73: *Ἀπὸ δὲ τῶν Τρωϊκῶν, ἀκολούθως Ἀπολλοδώρῳ τῷ Ἀθηναίῳ, τίθεμεν ὀγδοήκοντα ἔτη πρὸς τὴν κάθοδον τῶν Ἡρακλειδῶν· ἀπὸ δὲ ταύτης ἐπὶ τὴν πρώτην Ὀλυμπιάδα δυσὶ λείποντα τῶν τριακοσίων καὶ τριάκοντα, συλλογιζόμενοι τοὺς χρόνους ἀπὸ τῶν ἐν Λακεδαίμονι βασιλευσάντων.*

centesimo quadragesimo quarto floruisse. Haec fere sunt, quae de Apollodoro traduntur. Fuit igitur temporibus illis, quibus Pergami et Alexandriae regibus auctoribus fautoribusque summis ingeniis summaque doctrina viri studiis litterisque dediti fuerunt. Atque si in doctissimorum illius aetatis virorum numero eum referendum esse existimamus, nostro jure facere videmur, cum ab Auctore libelli de Allegor. Homer. fragm. 7 nominetur ὁ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν δεινός.

Eum — ut prudens rerum explicator fuit — multa scripsisse constat. Sed quae scripserit quosque libris titulos imposuerit, quaestio est non facilis ad dijudicandum. Quamquam enim permulti tituli in veterum operibus scholiisque laudantur, ut Apollodorus viginti fere opera composuisse videatur, cavendum tamen est, ne omnia, quae Apollodori nomen ferant, Atheniensis esse existimemus. Multi enim praeterea alii Apollodori exstiterunt, qui partim in iisdem, quibus hic Atheniensis, studiis versati partim omnino alieni se ad scribendum conferrent scriptaque relinquerent. Quo factum est, ut non solum, quae ab illis scripta sunt, huic, qui majore auctoritate erat, adjudicarentur, sed etiam, ut postea demonstrabimus, incuria librariorum pro Apollonii nomine Apollodori nomen poneretur. Haec opera sunt, quae Apollodori nomine apposito in veterum scriptis scholiisque laudantur.

1. βιβλιοθήκη
2. περὶ θεῶν
3. περὶ γῆς sive περιήγησις.
4. σύνταξις χρονική
5. περὶ νεῶν.
6. περὶ ἐτυμολογιῶν
7. περὶ κρατῆρος

8. περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων
9. περὶ Σώφρονος
10. περὶ Ἐπιχάρμου
11. Δογμάτων συναγωγή
12. περὶ φιλοσόφων αἱρέσεων
13. φυσική
14. ἠθική
15. περὶ νομοθετῶν
16. περὶ θηρίων
17. περὶ στεφάνων καὶ μύρων
18. ἀντιγραφὴ πρὸς τὴν Ἀριστοκλέους ἐπιστολήν
19. Παρθικά
20. Ποντικά

Priusquam autem ad id ipsum, quod perscrutandum nobis proposuimus, argumentum accedamus, necesse est singulos Apollodoros, qui a veteribus laudentur, enumeremus atque, quid quisque scripserit, demonstremus. Sed tantum abest, ut omnes Apollodoros a Fabricio B. Gr. III, Capt. 27 laudatos repetam: ut eos solos, qui aut in iisdem, quibus hic Atheniensis, versati sunt aut quibus nihil, unde alios esse cognosci posset, adjunctum est. Ex quo efficitur, ut missos faciam et eos, quibus aliud cognomen est, et eos, qui poëtarum munere, eorumque comicorum fungantur: quo ex numero sunt Apollodorus Gelous[1]), Apollodorus Carystius[2]), Apollodorus[3]) Atheniensis comicus, de quibus videndus est Fabricius B. Gr. III, Capt. 27 et Galeus dissert. de script. myth. III. Deinde toti alieni a nostro Apollodoro sunt Apollodorus ὁ λογιστικός[4]), qui ab Athenaeo vocatur ὁ ἀριθμητικός,

[1]) Athenaeus III, 98. X, 44.
[2]) Athenaeus I, 62. III, 9. VI, 43. XIV, 84.
[3]) Athenaeus I, 4.
[4]) Diogenes Laertius I, p. 4. VII, p. 12. Athenaeus X, p. 13.

et Apollodorus ὁ ῥήτωρ[1]). Adde quod reperiuntur saepe in opere Diogenis Laertii Apollodori quidam, quorum alteri cognomen est Atheniensi[2]), alteri Epicureo[3]): sed ex operum titulis plane manifestum fit diversos esse a nostro Apollodoro. Postremo Apollodori pictoris esse illud a Photio s. v. σκιογράφος positum Heynius jam intellexit. Difficilius autem eos est a nostro Apollodoro distinguere, qui aut nullo cognomine apposito a veteribus laudantur aut in iisdem studiis versati sunt.

Atque primus quidem in medium Apollodorus quidam grammaticus veniat, qui Cyrenaeus vocatur. Qui aut ubi aut quibus temporibus floruerit, nihil certum est exploratumque, cum singula fragmenta sola nomine ejus apposito nobis servata sint. Quae exstant, haec sunt. Legimus in Etymologico Magno s. v. *Βωμολόχοι: Μεταφορικῶς δὲ καὶ οἱ παραπλησίως τούτοις ἕνεκα ὠφελείας τινὰ κολακεύοντες ἄνθρωποι εὔκολοι καὶ ταπεινοὶ, καὶ πᾶν ὁτιοῦν ὑπομένοντες ἐπὶ κέρδει, διὰ τοῦ παίζειν τε καὶ σκώπτειν. ὅθεν καὶ βωμακεύματα καὶ βωμολοχεύματα. Ἔτι δὲ καὶ οἱ παραλαμβανόμενοι ταῖς θυσίαις αὐληταὶ καὶ μάντεις. Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κυρηναῖος ὁ εὐτράπελος καὶ γελωτοποιός.*

Apud Suidam s. v. *ἄντικρυς· κατέναντι, ἐξ ἐναντίας. οἱ δὲ γλωσσογράφοι καὶ Ἀπολλόδωρος ὁ Κυρηναῖος καὶ ἑτερά φασι δηλοῦν. καὶ γὰρ διάμπερες καὶ οἰθύς* sqq.

Apud eundem s. v. *βδελύττεσθαι· μυσάττεσθαι, ναυ-*

---

1) Strabo XIII, p. 625.

2) Diogenes Laertius I, p. 60. VI, 39. 40. 41. 102. 118. 121. 125. 129. 135. 140. 142. 150. 54. 64. 84. 143. 157. 181.

3) Diogenes Laertius VIII, 18. 50. IX, 1. 10. 25.

*τιᾶν, ἀποστρέφεσθαι. Ἀπολλόδωρος Κυρηναῖος μισεῖν· ἀπὸ τούτου καὶ βδελυγμία ἀπὸ τοῦ μίσους καὶ ἡ βδελυρία.*

Apud Athenaeum XI. Capt. 74: *Μαστός· Ἀπολλόδωρος ὁ Κυρηναῖος, ὥς Πάμφιλός φησι, Παφίους τὸ ποτήριον οὕτω καλεῖν.* Ex his Apollodorum Cyrenaeum in grammaticorum numero referendum esse rerumque nominibus interpretandis operam dedisse cognoscimus. Itemque Apollodorus Atheniensis vocabulorum notiones explicavisse dicitur. Athenaeus[1]) enim tribus locis commemorat librum, qui *περὶ ἐτυμολογιῶν* inscriptus esset, ab eo compositum esse. Itaque quoniam uterque in eodem versatus esse dicitur, factum est, ut quod unius esset, in alterum a viris doctis transferretur. Atque ut hinc incipiam, Heynius dubitat, an illa verba, quae Athenaeo teste XI, 74 ab Apollodoro Cyrenaeo scripta sint, Atheniensi attribuat, motus, quod paullo ante ab Athenaeo ex scriptis Apollodori cujusdam, quem ipse Atheniensem esse existimat, verba laudantur, quibus quod Paphii poculo nomen dederint, traditur. Legimus enim apud Athenaeum haec:

XI, 64: *κύμβα ποτήριον Ἀπολλόδωρος Παφίοις* et Capt. 65: *Ἀπολλόδωρος δ' ἐν τῷ περὶ ἐτυμολογιῶν Παφίους τὸ ποτήριον καλεῖν κύμβα.*

Et Capt. 74: *μαστός· Ἀπολλόδωρος ὁ Κυρηναῖος, ὡς Πάμφιλός φησι, Παφίους τὸ ποτήριον οὕτω καλεῖν.*

Heynii sententia si vera esset, hi tres loci, qui apud Athenaeum exstant, aut inter se pugnarent aut, qui

---

1) Athenaeus XI, 9. XIV, 663. II, 63.

tertius est, corruptus esset. Nam qui Paphios poculo nomen *κύμβα* imposuisse dicit, eidem non licet dicere poculo eos nomen *μαστός* dedisse. Venio nunc ad Thom. Galeum de script. mythic. III, qui hanc ejus difficultatis tollendae rationem iniit. Dicit enim loco laudato „Distingui debet Apollodorus Cyrenaeus grammaticus ab Atheniensi nostro; scripsit sane uterque de poculis. Illud autem scriptores hos ab invicem possit distinguere, quod Cyrenaeus de poculis egit tamquam glossographus et proinde cum Pamphilo eum conjungit Athenaeus, Suidas cum aliis *γλωσσογράφοις* s. v. *ἄντικρυς*, ut et Etymologicum Magnum; Apollodorus Atheniensis autem poculorum historias collegisse videri merito potest". Ex paucissimis Athenaei verbis non potest intelligi alterum poculorum nomina interpretatum esse, alterum historiam poculorum collegisse. Ego autem nego aut Apollodorum Cyrenaeum aut Apollodorum Atheniensem de poculis librum confecisse. Jam Heynius vidit Apollod. Fragm. pag. 453 titulos, in quos opera divisa essent, saepe pro singularibus libellis habitos esse: qua de caussa illud Atheniensis opus, quod *περὶ κρατῆρος* inscriptum sit, ad librum *περὶ ἐτυμολογιῶν* pertinere existimat. Quae sententia egregie confirmatur iis, quae leguntur apud Athenaeum XI, Capt. 103: *Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ περὶ τοῦ κρατῆρος ῥησειδίῳ τὴν κατὰ τὸν πυθμένα μὴ δυναμένην τίθεσθαι καὶ ἐρείδεσθαι, ἀλλὰ κατὰ τὸ στόμα.* Voce *ῥησείδιον,* quae hic legitur, non opus, sed titulus tantum potest significari. Et quoniam etiam Apollodorus Cyrenaeus in arte grammatica operam consumpsit, non librum, qui *περὶ κρατῆρος* in-

scriptus esset, ab eo confectum esse existimo, sed partem totius operis *περὶ κρατῆρος* inscriptam esse. Sed jam aperiendum est, quid ego statuam. Existimo tertium illum locum, quo Paphii poculo *μαστός* nomen dedisse dicantur, ejus esse, cui ab Athenaeo adjudicetur. Opera dedita Athenaeus Apollodoro nomen gentile adjunxisse videtur mihi, ne gentili omisso ille alter Apollodorus, qui Paphiorum poculo nomen *κύμβα* fuisse dixisset, secum ipse pugnaret.

Sequitur, ut videamus, quis sit ille, qui in Scholiis Iliadis *Ἀπολλόδωρος ἐν γλώσσαις* vocatur. Legimus enim in Schol. Iliad. I, V. 148: *οὐδὲν ἔτισας, πλεονάζει τὸ δέν, ἰσοδυναμεῖ γὰρ τῷ οὐκ ἔτισας. Ἀρίσταρχος παρέλκειν λέγει τὸ δέν. Ἀπολλόδωρος δὲ ἐν γλώσσαις εἶναι τὸ πλῆρες, οὐδὲ ἕν.* Petitum inde forte est II, 95: *πάλιν τροπάασθαι. Νικίας ὑφ' ἓν ἀνέγνω παλιντροπάασθαι. Ἀπολλόδωρος δὲ, κατὰ διάλυσιν.* XXIV, 110: .... *προτιάπτω. Ἀπολλόδωρος .... διὰ τοῦ τ τὴν πρόθεσιν γράφουσι.*

Heynius illum fuisse Apollodorum Atheniensem existimat. Idem etiam illum, qui a Varrone laudatur, Apollodorum Atheniensem esse statuit. „Potuere, inquit, haec in Etymologiis occurrere“. Exstant enim apud Varronem de L. L. V: „Origines verborum, quae sunt locorum et quae in his, in priore libro scripsi; in hoc dicam de vocabulis temporum — atque si qua erunt ex diverso genere adjuncta, potius cognationi verborum, quam auditori calumnianti, geremus morem. Hujus rei auctor satis mihi Chrysippus et Antipater, et illi, in quibus etsi non tantum acuminis, est plus litterarum: in quo est Aristo-

phanes et Apollodorus: qui omnes verba ex verbis ita declinari scribunt, ut verba litteras alia adsumant, alia amittant, alia commutent". Ab Heynio, viro doctissimo, si dissentio, meo jure mihi id facere videor. A Suida enim s. v. *ἄντικρυς* Apollodorus Cyrenaeus nominatur *γλωσσογράφος*. Quod nomen cum nusquam Apollodoro Atheniensi imponatur, illa omnia, ubi *Ἀπολλόδωρος ἐν γλώσσαις* vocatur, potius Apollodori Cyrenaei esse quam Atheniensis mihi videntur: praesertim cum Apollodori Atheniensis opus dicatur ab Athenaeo *περὶ ἐτυμολογιῶν* inscriptum esse. Huc accedit, quod in Etymologico Magno ille Apollodorus Cyrenaeus nominatur *ὁ εὐτράπελος καὶ γελωτοποιός*. Quae verba si cum Varronis verbis contulerimus, ubi in Apollodoro quodam dicitur plus litterarum fuisse quam acuminis, quis est, qui non intelligat a Varrone Apollodorum Cyrenaeum significari? Quae sententia videtur mihi corroborari ac confirmari illis, quae a Varrone loco laudato allata sunt: qui dicit verba ex verbis ab Apollodoro ita declinari, ut verba litteras alia assumant, alia omittant, alia commutent. Quod a Cyrenaeo factum esse manifestum fit ex illis locis, ubi *Ἀπολλόδωρος ἐν γλώσσαις*, quem Cyrenaeum esse modo diximus, laudatur. Credendum est Cyrenaeum illum, quamquam fieri potuerit, ut in illo litterae inessent, non magni tamen fuisse judicii atque in singulis verbis interpretandis magis id egisse, ut docte videretur invenire, quam ut versaretur accurate atque subtiliter. Quae cum ita sint, cum Cyrenaeus in iisdem, quibus Atheniensis, studiis versatus sit, a posterioribus, quae sunt alterius, alteri assignata sunt. Jam Stephanus in

Etymologico Magno s. v. *βωμολόχοι* addidit „*Ἀπολλόδωρος ὁ Κυρηναῖος:* hic grammaticus saepissime in Etymologico Magno laudatur omisso nomine gentili". Inde apparet difficillimum esse ad dijudicandum, quid illorum, quae in Etymologico Magno Apollodori nomine apposito laudentur, sit aut Cyrenaei aut Atheniensis. Nec igitur dubito, quin permulta ex Etymologico petita, quae Apollodoro Atheniensi et ab Heynio et a Muellero adjudicentur, non hujus sint, sed Cyrenaei: praesertim cum multi loci similitudinem illorum, quae Cyrenaei nomine apposito laudantur, prae se ferant. Veluti in Etym. Magn. s. v. *Δατητής* .... *Ἀπολλόδωρος διὰ τοῦ σ φησί· παρὰ τὸ δαίω δαστὸς, καὶ ῥῆμα δαστῶ· ὁ παρακείμενος δεδάστηται, καὶ ἐνδείᾳ τοῦ σ, δεδάτηται· ἀφ' οὗ ὄνομα δατητὴς, ὡς πεποίηται, ποιητής, διαιρετῆρες, μεγισταί.* „Blomfieldius l. l. verba *παρὰ τὸ* etc., quae ad etymologiam spectant, non videri Apollodori esse existimat. Quam sententiam, sane non improbabilem, si sequimur, pro colo post *φησὶ* interpunctio major ponenda est. s. v. *Ἀλάστωρ* .... *κατὰ δὲ Ἀπολλόδωρον, ἀπὸ τοῦ ἀλιτεῖν, ὅ ἐστιν ἀλιτανεύτως ἀδικεῖν*". Steph.

Commemoratur *Ἀπολλόδωρος ὁ Ταρσεύς* in Scholiis ad Eurip. Medeam V. 148: *ἄιες ὦ Ζεῦ: τοῦτο δὲ Ἀπολλόδωρος τῆς Μηδείας φησὶν, ἀπὸ δὲ τοῦ ἰαχὰν τοῦ χοροῦ, ἵν' ἔχῃ λόγον τὸ „κἀπιβοᾶται Θέμιν εὐκταίαν Ζῆνά τε" τοὺς δὲ ὑποκριτὰς συγχέειν.*

Eodem loco V. 169: *Ἀπολλόδωρος μὲν οὖν φησιν ὁ Ταρσεὺς τῆς ἀμφιβολίας αἰτίους εἶναι τοὺς ὑποκριτὰς, συγχέοντας τὰ χορικὰ τοῖς ὑπὸ Μηδείας λεγομένοις.*

In Scholiis ad Aristoph. Ranas V. 323: *οἱ δὲ τὸ δι' ἀγορᾶς περισπῶσιν, ὡς Ἀπολλόδωρος ὁ Ταρσεὺς, καί φασιν [Ἴακχον λέγειν, ὃν ᾄδουσιν ἐξ ἄστεως διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐξίοντες εἰς Ἐλευσῖνα· γέγονε δὲ καὶ ἕτερος κωμῳδούμενος ἐπὶ μεγέθει.*

Ab Hesychio s. v. *Διαγόρας· Ἀπολλόδωρος ὁ Ταρσεὺς ἀναγινώσκει περισπῶν δι' ἀγορᾶς, διὰ τὸ τοὺς μύστας βακχάζειν (ἰακχάζειν* Albert) *τουτέστιν ᾄδειν τὸν Ἴακχον δι' ἀγορῶν βαδίζοντας.*

Ad quem Heynio videtur illud, quod legitur in Scholiis ad Aristoph. Plutum V. 535, referendum esse, ubi exstant haec: *φλυκταινῶν· Ἀπολλόδωρος τὰ ἐκ τοῦ πυρὸς ἐρυθήματα ἢ ἐκ ψύχους ἢ τοὺς τύλους, καὶ τὰ ἐπικαύματα τὰ ἐκ τοῦ πυρός· ὡς τῶν πενήτων διὰ τοῦ αὐτουργεῖν τοῦτο πασχόντων.* Sed dubito, an haec Apollodoro medico, de quo paullo post disseremus, melius sint assignanda. Heynii sententia rejecta ad illa, quae supra allata sunt, redeamus.

Quibus ex paucis locis, quod intelligam, bene colligi potest eum id tetendisse, ut demonstraret, et unde carminum nomina tracta essent, et quomodo fabularum carmina constituenda versusque singuli distribuendi essent. Legimus apud Hesychium s. v. *Παριαμβίδες· Ἀπολλόδωρος παρὰ τοὺς Ἰάμβους αὐτάς φησι πεποιῆσθαι, ἃς οἱ κιθαρῳδοὶ ᾄδουσιν.* Haec, quae apud Hesychium legimus, et Heynius et Muellerus ex Apollodori Atheniensis opere, quod *περὶ ἐτυμολογιῶν* inscriptum esset, desumpta esse existimant. At Apollodori Tarsensis esse his collatis sibi quisque persuadebit. In Hesychio s. v. *Διαγόρας* Apollodorus Tarsensis dicit genus carminum

quoddam vocari *Διαγόρας,* quod homines per forum ingredientes Jachum cecinerint. Idem traditur nomine Apollodori Tarsensis apposito in Schol. ad Arist. Ranas V. 323. Ergo valde probabile est, cum Apollodorus utroque loco de carminum generibus disserat, altero quoque Hesychii loco Apollodorum intelligendum esse Tarsensem. Eidem Apollodoro Tarsensi, quamquam certis testimoniis rem non possum confirmare, dubito, an illa quoque epistola, quae ab Apollodoro quodam ad Aristoclem missa est, assignanda sit. Exstant apud Athenaeum XIV, Capt. 40 haec: *Ἀπολλόδωρος δ᾽ ἐν τῇ πρὸς τὴν Ἀριστοκλέους ἐπιστολὴν ἀντιγραφῇ, ὃ νῦν, φησὶν, ἡμεῖς λέγομεν ψαλτήριον, τοῦτ᾽ εἶναι μάγαδιν, ὁ δὲ κλεψίαμβος κληθεὶς, ἔτι δὲ καὶ τὸ ἐννεάχορδον ἀμαυρότερα τῇ χρείᾳ καθέστηκε.* Scripsisse Aristoclem quendam *περὶ μουσικῆς καὶ χορῶν* cognoscimus ex Athenaei verbis, qui XIV, Capt. 73 dicit: *οὓς νῦν τινες Σιμῳδοὺς καλοῦσιν, ὡς Ἀριστοκλῆς φησιν ἐν πρώτῳ περὶ χορῶν.* Ad hunc Aristoclem, qui fere aequalis Apollodoro Atheniensi sit, Jonsius IV, p. 330 epistolam illam ab Apollodoro Atheniensi missam esse existimat. At considerans Apollodorum Tarsensem magna elegantia virum in fabularum carminibus recte constituendis illorumque nominibus interpretandis versatum fuisse, nescio an haec quoque epistola, quae ad Aristoclem, hominem artis musicae peritum, data sit, huic potius quam Atheniensi attribuenda sit. Sed diversum esse hunc ab altero Apollodoro Tarsensi, poëta tragico, recte jam Heynius intellexit Apoll. Fragm. pag. 457.

Reliquum est, ut pauca de Apollodoro Doriensi et

Apollodoro Cyziceno dicam: quorum alter semel memoratur in Scholiis ad Theocrit. Idyll. I, V. 52, ubi haec legimus: *ἀνθέρικος· Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Δωριεύς φησιν οὐ λέγεσθαι τὸν τῆς ἀσφοδέλου καυλόν*: alter a Diogene Laertio VIII, pag. 38: *Δημόκριτος· φησὶ δὲ καὶ Ἀπολλόδωρος ὁ Κυζικηνὸς Φιλολάῳ αὐτὸν συγγεγονέναι*: et ab Athenaeo XII, Capt. 114: *ὅτι δὲ καὶ δυσμενὴς ἦν πρὸς ἅπαντας δῆλον καὶ ἐκ τῶν ἐν τῷ Ἴωνι ἐπιγραφομένῳ· ἐν ᾧ πρῶτον μὲν κακολογεῖ πάντας τοὺς ποιητάς, ἔπειτα δὲ καὶ τοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου προαγομένους, Φανοσθένη τὸν Ἄνδριον καὶ Ἀπολλόδωρον τὸν Κυζικηνόν, ἔτι δὲ τὸν Κλαζομένιον Ἡρακλείδην.*

De Apollodoro Cyziceno, ut ab eo ordiar, quae ab Athenaeo tradita sunt, cum iis, quae apud Diogenem Laertium leguntur, discrepant. Athenaeus enim illum in numero poëtarum eorumque praemio affectorum videtur habuisse. At Diogenes Laertius in eam opinionem nos illum scriptorem fuisse adducit. Est igitur veresimile alterutrum locum corruptelam traxisse. Facilis autem est corruptelae sanatio. Omnem difficultatem existimo ita tolli posse, ut Diogenem per errorem lapsum esse statuamus. Facit enim Diogenes Laertius loco laudato Apollodorum Cyzicenum docentem eadem, qua Philolaum, aetate Democritum floruisse. Paullo post autem Diogenes tradit auctore Apollodoro Atheniensi fuisse eum octogesima Olympiade. Exstant enim apud Diogenem Laertium VIII, pag. 41: *γεγόνοι δ' ἄν, ὡς μὲν Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς, κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα.* Quae cum ita sint, cum Apollodorus Atheniensis, qua aetate floruerit Democritus, in opere, cui nomen

est *χρονικά*, demonstret, nescio, an, quae est mea sententia, eo quoque loco, quo Cyzicenum Diogenes docentem, Democritum Philolao aequalem fuisse, faciat, pro gentili nomine *Κυζικηνὸς* *Ἀθηναῖος* reponendum sit. Quod ut statuam, eo magis moveor, quod Athenaeus Cyzicenum poëtam fuisse tradit.

Venio nunc ad Apollodorum Doriensem. Laudatur ille in Scholiis ad Theocrit. Idyll. I, V. 52: *ἀνθέρικος· Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Δωριεύς φησιν οὐ λέγεσθαι τὸν τῆς ἀσφοδέλου καυλόν.* Ex quibus verbis in nominibus verborum interpretandis operam illum consumpsisse cognoscimus.

Dissertationem de diversis Apollodoris grammaticis institutam cum jam ad umbilicum adduxerimus, paucis verbis ea, quae demonstravisse nobis nos videmur, repetere juvat. Docuimus Apollodorum Cyrenaeum et Tarsensem grammaticos fuisse versatosque in verborum nominibus explicandis: demonstravimus nonnulla, quae in scholiis et Etymologico Magno Apollodoro Atheniensi adjudicata essent, aut Apollodori Cyrenaei esse aut Apollodori Tarsensis. Ex his efficitur, ut alia quoque, quae Apollodori nomen gentili non apposito ferant, accedentibus aliis caussis Apollodori Atheniensis esse possit negari. Restat nunc, ut demonstremus operum, quibus Apollodori nomen gentili non apposito impositum sit, alia ab aliis Apollodoris, alia ab Apolloniis confecta esse.

Atque primum quidem de opere Apollodori cujusdam, quo res Parthicae enarrantur, pauca afferam. Memoratur ille ab Athenaeo[1]), Strabone[2]), Stephano By-

[1]) Athenaeus XV, Capt. 29.

[2]) Strabo II, 118. XI, 509. 514. 516. 524. XV, 686.

zantio[1]). Ei cognomen Artemidoro fuisse a Vossio de hist. Graec. III demonstratum est.

Deinde aliud nobis afferendum est opus, quod et alios viros doctos et Heynium videtur effugisse. Legimus enim apud Diogenem Laertium I, pag. 58 haec: *πρῶτος δὲ Σόλων τὴν ἕνην καὶ νέαν ἐκάλεσεν. καὶ πρῶτος δὲ Σόλων τὴν συναγωγὴν τῶν ἐννέα ἀρχόντων ἐποίησεν εἰς τὸ συνειπεῖν, ὡς Ἀπολλόδωρός φησιν ἐν δευτέρῳ περὶ νομοθετῶν.* Quod opus utrum Apollodoro Atheniensi adjudicandum sit, necne, cum testimonia non exstent, dijudicari non potest. Equidem existimo opus, cui nomen *περὶ νομοθετῶν* esset, ab Apollodoro non confectum esse, sed aut Diogenem in nomine scriptoris laudando erravisse aut haec ex alio Apollodori opere, veluti ex illo, cui nomen est *χρονικά*, desumpta esse.

Venio nunc ad illa opera, quae Apolloniorum esse viri docti jam docuerunt. Legimus enim in scholiis Apollonii Rhodii III, V. 159: *Ἀπολλόδωρος δὲ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ποντικῶν ἡρῷον αὐτόθι φησὶν εἶναι Ἀμύκου, καὶ εἴ τις ἐκ τῆς δάφνης κλάδον λάβοι, εἰς λοιδορίαν ἀνίστησι:* et apud Stephanum Byzantium s. v. *Ἀρκόνησος· Ἀπολλόδωρος ἐν ἑκκαιδεκάτῳ Καρικῶν.* Horum alterum, quod *τὰ Ποντικὰ* inscriptum est, ab Apollonio Aphrodiensi, alterum, quod *τὰ Καρικὰ* inscriptum est, ab Apollonio Rhodio esse compositum Heynius[2]) jam conjectura assecutus est. Item tertio quoque loco Apollodori nomen in Apollonii mutandum esse existimo. Dicitur enim ab Athenaeo XV, Capt. 11. Apollodorus quidam opus *περὶ*

[1]) Stephanus Byz. s. v. *Ἀρτεμίτα.*

[2]) Heynius Apoll. fragm. pag. 457.

*μύρων καὶ στεφάνων* confecisse. Haec verba sunt *Φιλωνίδης δ' ὁ ἰατρὸς ἐν τῷ περὶ μύρων καὶ στεφάνων „Ἐκ τῆς Ἐρυθρᾶς (φησὶ) θαλάττης ὑπὸ Διονύσου μετενεχθείσης εἰς τὴν Ἑλλάδα ἀμπέλου ..... τὰ αὐτὰ εἴρηκεν καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ μύρων καὶ στεφάνων αὐταῖς λέξεσι.* Eundem esse, qui in Indice libr. XII apud Plinium laudetur, suspicantur Jonsius, Fabricius, alii. Apollodorum Citieum medicum fuisse Heynius sibi persuasit. Cum autem ab Apollonio Herophilio[1]) opus, quod *περὶ μύρων* inscriptum sit, compositum esse Athenaeus doceat, dubito, an hoc quoque loco Apollonii nomen legendum sit.

Reliquum est, ut pauca dicam de illis verbis, quae apud veteres leguntur, *Εὐφορίων ἐν Ἀπολλοδώρῳ.*

Memoratur hoc opus in Scholiis Apollonii Rhod. I, 1063 ubi haec *ὁ μὲν Ἀπολλώνιος νεόγαμον τὸν Κύζικον καὶ ἄπαιδα ἱστορεῖ, Εὐφορίων δὲ ἐν Ἀπολλοδώρῳ μελλόγαμον. τὴν δὲ [γαμετὴν] οὐ Κλείτην [τὴν] Μέροπος λέγει θυγατέρα, Λάρισαν δὲ τὴν Πιάσου.*

Schol. in Lycophronem V. 513:

*ποικίλον οὐδὲ μέλαθρον Ὀρχίλοχος ἔπτη Κύζικὸς*
*ὅνδ' ἤεισε κακὸν γάμον ἐχθομένη κρέξ.*

Harpocration s. v. *κύρβεις· ὁ κάτωθεν νόμος ... ὅτι γὰρ βουστροφηδὸν ἦσαν οἱ ἄξονες καὶ οἱ κύρβεις γεγραμμένοι, δεδήλωκεν Εὐφορίων ἐν τῷ Ἀπολλοδώρῳ.* De quo vix potest dici, quam varias et perversas viri docti sententias in medium protulerint. Quorum omnium sententiae eo solo refelluntur, quod satis constat quin-

1) Athenaeus XV, 38: *γίνεται δὲ μύρα κάλλιστα κατὰ τόπους, ὡς Ἀπολλώνιός φησιν ὁ Ἡροφίλειος ἐν τῷ περὶ μύρων, γράφων οὕτως* etc.

quagesimum aetatis annum egisse Euphorionem, cum sese ad aulam Antiochi conferret, qui Olympiadis centesimae tricesimae nonae anno primo imperium Syriae susceperat. Apollodorum igitur cum inter Olymp. 150 et Olymp. 160 anno centesimo quadragesimo quarto a. Chr. n. floruisse supra diximus, Euphorionem autem Olympiade tricesima usque ad quinquagesimum aetatis annum progressum esse constet, per se ipsum manifestum est non potuisse fieri — id quod Heynius[1]) sibi persuasit — ut Euphorion de Apollodoro Atheniensi scripserit. Primus errorem sustulit Augustus Meinekkius[2]), qui aliis sententiis rejectis. „Fuit procul dubio, inquit, *Ἀπολλόδωρος* epicum sive mavis hexametricum carmen Apollodoro cuidam dedicatum, cujus argumentum fuit haud dubie maximam partem fabulosum; certe Clitae et Cyzici fabulae in eo locum fuisse docent fragmenta".

De illo Apollodori cujusdam opere, cui nomen *περὶ θηρίων* est, vide Heynium pag. 454 ff.

Restant igitur omnium illorum titulorum, quos supra enumeravimus, hi soli

1. *βιβλιοθήκη*
2. *περὶ θεῶν*
3. *περὶ γῆς* sive *περιήγησις*
4. *χρονικά*
5. *περὶ νεῶν*
6. *περὶ ἐτυμολογιῶν*
7. *περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων*
8. *περὶ Σώφρονος*
9. *περὶ Ἐπιχάρμου.*

His expositis redeamus ad eam rem, quam demonstrandam nobis proposuimus. Ac primum quaeratur,

---

1) Heynius Fragm. Apollod. pag. 459: *Εὐφορίων ἐν Ἀπολλοδώρῳ:* simile scriptum designari videtur, quale fuit Apollodori super Epicharmo et alia aliorum haud dissimilia.

2) August. Meinekkius, Euphorionis Fragm. pag. 14.

utrum opus, cui nomen esset βιβλιοθήκη, ab Apollodoro confectum sit, an ab aliis in eam, quae nunc est, formam redactum sit.

Cum Aegio Spoletino, qui primus Apollodori opus, cui βιβλιοθήκη nomen est, edidit, iisque, qui proximi sunt, incerta luctatio est: qui nihil affirmant atque id sequi volunt, quodcunque veresimile videatur. Cum Heynio atque Claviero est nobis plus negotii. Heynius enim, ut antea Thom. Galeus, statuit omnia opera, quae Apollodori nomen ferant, esse talia, qualia ab eo ipso composita sint; maxime contra eos dicens, qui bibliothecam aut eandem esse ac librum περὶ θεῶν aut ex eo opere excerptum dixerunt.

Quam ad sententiam confirmandam cum multa alia attulerunt, tum quod neque Photius neque Scholiastae usquam alio nomine, nisi bibliothecae voce usi essent: neque fieri potuisse, ut bibliotheca excerpta esset ex libro περὶ θεῶν, cum in bibliotheca solae inessent fabulae Graecorum, in libro, qui περὶ θεῶν inscriptus esset, aliarum quoque gentium ritus religionesque exponerentur. Aliter placuit Claviero[1]), qui omnino librum, qui βιβλιοθήκη inscriptus esset, ab Apollodoro compositum esse negat, sed eum ex diversis Apollodori operibus, quibus nomina essent περὶ θεῶν, περὶ νεῶν, χρονικά, conflatum esse. Quam sententiam confirmare studuit loco Stephani Byzantii s. v. Δύμη[2]). Apparere inde dicit Stephani temporibus epitomen Apollodori ex-

[1]) Clavierus „Apollodori bibliotheca". Paris 1801.

[2]) Steph. Byzant. s. v. Δύμη· ὁ πολίτης Δυμαῖος .... Ἀπολλόδωρος ἢ ὁ τὰ τούτου ἐπιτεμνόμενος.

stitisse, cui nomen *βιβλιοθήκη* fuisset; locum a Stephano laudatum referendum esse ad libri tertii partem postremam, nunc deperditam. Aliam novissimis temporibus sententiam Welckerus protulit dixitque cyclum historicum, qui vocatur, ab Apollodoro confectum esse, ex quo, quae nunc libro, cui nomen *βιβλιοθήκη* esset, continerentur, desumpta essent: neque titulum, qui libro est, additum esse ab Apollodoro, sed ab aliis fictum ex versibus epigrammatis[1], quod esset majori operi, ex quo *βιβλιοθήκη* desumpta esset, praescriptum. Hanc sententiam, quam ille vir praeclarissimus atque doctissimus conjectura assecutus rationibus, cur ita statueret, non additis pronuntiavit, nobis tuendam atque explicandam proposuimus. Ego enim existimo ex illo majore opere, quo Polemonis rationem secutus fabulas veterum et ex poëtarum carminibus et ex scriptorum operibus desumptas Apollodorus explicaverit, non modo hunc libellum, quem habemus, excerptum esse, sed etiam illius operis, quod *περὶ θεῶν* inscriptum esset, quod singulare opus esse putatur, reliquias haustas esse. Hoc cum majore opere necessitate quadam continetur illud, cui nomen *χρονικά* impositum est. Ut enim illo ea, quae poëtae, qua ingenii ubertate hilaritateque sunt, finxerunt summaque colorum venustate depinxerunt, comprehensa sunt: sic hoc illa, quae rerum explicatores conservatis notatisque temporibus memoriae tradiderunt: ita ut recte Apollodorus possit dici *ὁ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν δεινός*. Praeterea exstant nonnulla, quae ad artem grammaticam spectant.

[1]) Photius cod. 186.

# APOLLODORI BIBLIOTHECA
## PARS PRIMA.

Apollodori opusculum, cui nomen est *βιβλιοθήκη*, cum in scholiis veterumque scriptorum operibus memoratur, tum, quale fuerit, a Photio cod. 186 copiosius exponitur. Legimus enim haec: *Ἐν τῷ αὐτῷ δὲ τεύχει καὶ Ἀπολλοδώρου γραμματικοῦ βιβλιδάριον ἀνεγνώσθη μοι. Βιβλιοθήκη αὐτῷ ἡ ἐπιγραφή. περιεῖχε* (f. *δὲ*) *τὰ παλαιότατα τῶν Ἑλλήνων, ὅσα τε* (f. *γε*) *περὶ θεῶν καὶ ἡρώων ὁ χρόνος αὐτοῖς δοξάζειν ἔδωκεν. ὀνομασίας ποταμῶν καὶ χώρων καὶ ἐθνῶν καὶ πόλεων. ὅθεν καὶ τὰ πολλὰ ὅσα εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀνατρέχει, καὶ κάτεισι μέχρι τῶν Τρωϊκῶν· καὶ ἀνδρῶν τινων πρὸς ἀλλήλους μάχας καὶ ἔργα ἐπιτρέχον. καὶ τῶν ἀπὸ Τροίας πλάνας τινὰς, μάλιστα δ' Ὀδυσσέως, εἰς ὃν αὐτῷ καὶ ἡ ἀρχαιολογία καταλήγει. σύνοψις δ' ἐστὶ τὰ πολλὰ τοῦ βιβλίου, καὶ* (f. delendum *καὶ*) *οὐκ ἄχρηστος τοῖς τὰ παλαιὰ ἐπὶ μνήμης ἔχειν λόγων μεταποιουμένοις. ἔχει δὲ καὶ ἐπίγραμμα τὸ βιβλιδάριον οὐκ ἄκομψον τόδε.*

Photii locus incredibili modo est perturbatus neque aliud quid praebet nisi apparatum tumultuarium, ut possis dubitare, num Photius hoc, quod nunc est, opusculum agnoverit. Singulis verbis perpensis haec videtur mihi illius loci summa conficienda esse, ut hoc libro, quae antiquissimae fabulae usque ad Trojam captam atque Graecorum reditus deductae traditae sunt, in epitomarum ac summariorum angustias coactae atque compulsae sint. Ita enim Photii verba *περιεῖχε δὲ τὰ πα-*

λαιότατα τῶν Ἑλλήνων, ὅσα γε περὶ θεῶν καὶ ἡρώων ὁ χρόνος αὐτοῖς δοξάζειν ἔδωκεν — Heynius vult in Commentat. pag. XLIII pro ἔδωκεν scribere παρέδωκεν, quod verbum de antiqua fama sit usitatius — ita igitur haec verba interpretanda sunt, ut, quaecunque de diis atque heroibus propagata per temporum diuturnitatem memoria prodita essent profitenda, Apollodorus explicaverit. At Muellerus Hist. Gr. Fragm. Vol. I, pag. XLI ita interpretatur „Quae temporum ratione habita de diis et heroibus statuerint" vel „quae de deorum heroumque aetate opinati sint. Quod ut suspicari liceat, Apollodorum id tetendisse, ut singulas fabulas in certas temporum rationes redigeret, neque in bibliotheca quidquam datum est neque in ipsis Photii verbis. Verbo enim ὁ χρόνος, quod articulus additus est, nisi quod per metonymiam, quae vocatur, dictum hoc loco intelligendum est, similis vis subest ac quod apud Herodotum I, 1 ubi legitur ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, id est, ne, quaecunque ab hominibus gesta sunt, temporum diuturnitate obruantur. Quamquam Scaligerus quidem in Elencho orationis Chronologicae „Apollodori bibliotheca, inquit, opus sane ingeniosissimum et elegantissimum, fabula est: non si homines, sed si hominibus attributa considerantur. Eam totam, si velimus, possumus κατὰ γενεὰς in certum Chronicum conjicere". Sed illa sententia cum aliis rebus tum hac sola evertitur, quod Apollodorus rebus a Hercule gestis illustratis, quamquam ipse octogesimo anno post Trojam captam reditus Heraclidarum factos esse docet, statim tamen fabulas, quae de Heraclidis feruntur,

adjungit. Omnino autem Muellerus videtur mihi motus esse, ut illa verba ita interpretaretur, quod ex duobus illis operibus, quae inscripta essent βιβλιοθήκη et χρονικά, Apollodori opus constitisse sibi persuaserit. Quam sententiam explodendam esse atque rejiciendam postea demonstraverimus. Quae cum ita sint, cum illa sententia, quam de Apollodori scriptis Muellerus aperuit, non probetur, nihil est, cur verba ὁ χρόνος vi allata ita, ut Muellerus, interpretemur. Quod autem eodem opusculo contineri appellationes fluminum, regionum, urbium, gentium Photius docet, Heynius in comment. de Apollod. biblioth. pag. XLIII „In eo quidem, quem nunc habemus, libello, inquit, pauca id genus occurrunt; dicemusne eum pleniorem lectum esse a Photio? sed potuere plura exempla esse in iis, quae periere in calce libelli, ubi ab Achivis, qui Troja redierunt, urbes conditae narrari potuerunt; sunt tamen etiam in iis, quae supersunt, loca nonnulla hujus generis“. Non debebat Heynius Photii patronus exsistere. Prorsus apparet ex Photii verbis, quam perverse ille Apollodori opus adumbraverit: nam quamquam et multis locis commemorantur flumina, regiones, urbes vel unde nomen invenerint, vel a quibus conditae sint, et veresimile est in extrema parte, quam temporum invidia nobis eripuit, multa hujusmodi exstitisse: tamen e totius operis dispositione potest intelligi Apollodorum sibi non proposuisse tales res enumerandas explicandasque, ut a Photio fuisse hoc Apollodori consilium dici oporteret, sed inseruisse, cum incidisset, ut aliqua fabula exposita apte posset fieri. Quamobrem non tantum videtur mihi his

Photii verbis tribuendum esse, quantum Muellerus sibi persuaserit, qui loco laudato ait „Itaque si dicit bibliothecam continuisse *ὀνομασίας ποταμῶν καὶ χωρῶν καὶ ἐθνῶν καὶ πόλεων* auctor, ex quo haec petita, procul dubio ad Chronica i. e. ad posteriorem bibliothecae partem respexit". Omnino autem Photii verba ad Chronica non referenda esse postea demonstrabimus.

Sed haec omnia, quae a Photio sunt prolata, sunt tam confuse tamque obscure dicta, ut, quale Apollodori opus fuisset, non intelligeres, nisi illud epigramma adjectum esset, quo, quae Photius dicit, illustrantur atque corriguntur. Legimus enim apud Photium cod. 186 haec:

*Αἰώνων σπειρήματ' ἀφυσσάμενος ἀπ' ἐμεῖο*
*παιδείης μύθους γνῶθι παλαιγενέας.*
*μήδ' ἐς Ὁμηρείην σελίδ' ἔμβλεπε, μήδ' ἐλεγείην,*
*μὴ τραγικὴν μοῦσαν, μηδὲ μελογραφίην,*
*μὴ κυκλίων ζήτει πολύθρουν στίχον· εἰς ἐμὲ δ' ἀθρῶν*
*εὑρήσεις ἐν ἐμοὶ πάνθ' ὅσα κόσμος ἔχει.*

Hujus epigrammatis singuli versus quomodo interpretandi sint, Welckerus et Heynius consentiunt, modo quintum versum excipias. Heynius enim, qui hunc versum vertit „aut cyclicorum poëtarum carmina require", statuit Homerici cycli, qui vocatur, auctores intelligendos esse: a quo Welckerus dissentiens dithyrambos existimat his verbis significari, quippe quibus permultae fabulae contineantur. Aliam Muellerus sententiam in medium tulit. Fragm. Hist. Graec. Vol. I, pag. XLI „Equidem, inquit, verbis *κυκλίων πολύθρουν στίχον* designari suspicor *κύκλον ἱστορικὸν* i. e. opus historico-geographicum, quale fuerunt Chronica Apollodori, Hellanici, Charonis".

At vereor, ne uterque a vero aberraverit et Heynius et Muellerus. Neque enim videtur mihi fieri posse, ut oratio soluta, id quod Muellero l. l. placuit, intelligi possit πολύθρους στίχος, neque verba videntur mihi ita supplenda esse, ut vox ποιητῶν subaudiatur. Utuntur enim verbo κύκλιος scriptores numquam nec de auctoribus cycli epici nec de scriptoribus cycli historici, de quo paullo post agemus: sed chori Baccho instituti dicti sunt κύκλιοι. Quod praeclarissime ostenditur in thesauro Stephani s. v. κύκλιος: ubi haec exstant „χορούς κυκλίους proprie dici choros circum aras ductos monuit Spanhem. ad Callim. Hymn. in Dian. 267 ubi est χορὸν ..... περὶ βωμὸν ἀπείπατο κυκλώσασθαι. Xenoph. Oecon. VIII, 20: ὥσπερ κύκλιος χορὸς οὐ μόνον αὐτὸς καλὸν θέαμά ἐστιν, ἀλλὰ καὶ τὸ μέσον αὐτοῦ καλὸν καὶ καθαρὸν φαίνεται. Κυκλικῶν χορῶν vitiose in versu Aristophanis apud Athen. XII, pag. 551 *B*.

πρῶτα μὲν Σαννυρίων
ἀπὸ τῶν τραγῳδῶν· ἀπὸ δὲ τῶν τραγικῶν χορῶν
Μέλητος· ἀπὸ δὲ τῶν κυκλικῶν Κινήσιας (Bently. κυκλίων)

de quo recte Bentlejus in r. p. ad Boyl. p. 169 (p. 320 ed. Lips.) „Corrigendum κυκλίων, ut aliis in locis Aristophanis et omnis generis scriptores κυκλίους χορούς, numquam κυκλικοὺς dicunt, Suidas, Schol. Pindari, Aristophanis, Hesychius, Plato, Plutarchus. Erat hic cyclius chorus idem, qui dithyrambus, ut quidam horum scriptorum aperte testantur, et erant tres chori ad Bacchum pertinentes κωμικός, τραγικός, κύκλιος, quorum ultimo suum praemium, sui judices Dionysiis, ut reliquis duobus

erant. Item *κύκλια μέλη* Schol. Aristoph. ad Aves, V. 918. *Μέλη .... κύκλιά τε πολλὰ καὶ καλά] τὰ τὴν αὐτὴν (τοιαύτην* cod. Rav.) *ὑπόθεσιν ἔχοντα, ταῦτα κύκλια ἔλεγον. Ἄλλως· Κύκλια δὲ καλοῦνται μέλη τὰ ἐπεκτεταμένα. Ἔστι δὲ διηγηματικόν. Ἄλλως· Ἀντὶ τοῦ κατάτεχνα, ποικίλα, οἷον, ὕμνους, παιᾶνας, προςόδια καὶ τὰ λοιπὰ τούτοις παραπλήσια.* Non alia quam dithyrambica carmina significantur". Recte igitur Welckerus videtur mihi statuisse supplendum esse *κυκλίων μελῶν:* praesertim cum *πολύθρους στίχος* additus sit. Quid est autem, quod ex hoc epigrammate discatur? Photius dicit, quaecunque de diis atque heroibus propagata per temporum diuturnitatem memoria prodita sint profitenda, hoc libro contineri: ex hoc epigrammate intelligitur non modo fabulas veterum ex quovis carminum genere desumptas explicatas esse, sed etiam quid secutus Apollodorus haec tradiderit. Versu enim primo in modum *κύκλον παιδευτικοῦ*, qui vocatur, haec composita esse manifestum fit. Nec enim a me possum impetrare, ut Muellerum sequar, qui illa verba vertit „Saeculorum seriem nostra si legeris arte". Quod si rectum esset, cum ceteris versibus non congrueret, quibus dicuntur inesse in hoc opere omnes veterum fabulae, ut non necesse sit ad illas cognoscendas ullius poëtae carmina perscrutari. An putas conservatis notatisque temporibus vel in Homeri carminibus vel in dithyrambis fabulas expositas esse, ut Apollodorus eorum auctoritatem secutus seriem aetatum posset suo opere constituere? Itaque Welckero assentior, qui verba *σπείρημα παιδείας* jungens interpretatur *κύκλον παιδευτικὸν* vel *κύκλον*

*ἱστορίας παιδευτικῆς*: cui interpretationi consentanea sunt illa, quae ceteris versibus explicantur. Sed priusquam longius haec persequamur, praefulciendum est atque praemuniendum, quid sit *κύκλος παιδευτικὸς* vel *κύκλος ἱστορίας παιδευτικῆς*. Vocatur autem *κύκλος παιδευτικὸς* illud opus, quo veterum fabulae juventuti ad discendum institutae atque adornatae continentur. Ita enim *κύκλον* intelligendum esse Suidas docet, qui s. v. *Διονύσιος* haec dicit „*Διονύσιος Μουσωνίου Ῥόδιος ἢ Σάμιος, ἱστορικός. Ἦν δὲ καὶ ἱερεὺς τοῦ ἐκεῖσε ἱεροῦ τοῦ Ἡλίου. Ἱστορίας τοπικάς, βιβλία ἕξ [οἰκουμένης περιήγησιν] Ἱστορίας παιδευτικῆς βιβλία ι'* [*Ὑπολαμβάνω ὅτι Διονύσιος ὁ Περιηγητὴς Βυζάντιος ἦν διὰ τὸν ποταμὸν Ῥῆβαν*]. Quo loco Dionysii opus, quamquam nominetur *ἱστορία παιδευτική*, idem esse ac *κύκλον ἱστορικὸν* jam Welckerus Ep. Cycl. pag. 76 intellexit. Nam illud opus, cui nomen est *κύκλος ἱστορικός*, quod in scriptis Dionysii[1]) Milesii numeratur, non est hujus Dionysii, sed Dionysii Samii, ut nullum dubium videatur esse, quin *κύκλος ἱστορικὸς* et *ἱστορία παιδευτικὴ* idem sit. Sed ne haesites in voce *ἱστορικός* usurpata de fabularum argumento, Nitzsch. Hist. Hom. I, pag. 87: „Veteres ipsi fabulam, inquit, ab historia nullo nisi arbitrii sui discrimine disjunxerunt". Quae cum ita sint, cum fabulae veterum *κύκλῳ παιδευτικῷ* explicentur, quae fabulae atque unde desumptae maxime inter se colligatae atque implicatae

---

[1]) Suidas s. v. *Διονύσιος Μιλήσιος· ἱστορικός. Τὰ μετὰ Δαρεῖον ἐν βιβλίοις ε'. Περιήγησιν οἰκουμένης. Περσικά, Ἰάδι διαλέκτῳ. Τρωϊκῶν βίβλια γ'. Μυθικά· Κύκλον ἱστορικὸν ἐν βιβλίοις ζ'* (Eudoc. *ἕξ*).

sint, docendum est. Sunt autem omnium fabularum fundamenta ae membra illae, quae cyclo epico, qui vocatur, colligatae sunt. Itaque Heynius in comment. de Apollod. biblioth. pag. XLIII: „Est vero haec alia, inquit, eaque haud ultima Apollodori laus, quod servavit multorum veterum carminum argumenta, multa ex veteribus mythographis, qui periere, etiam cycli epici vestigia aliqua". Immo vero non modo vestigia aliqua cycli epici nobis non servata sunt, sed totus ille liber videtur in cyclo epico, qui vocatur, niti quasi in fundamento. Prorsus enim poterit hoc intelligi, si et illa, quae cyclo epico comprehensa esse Welckerus[1]) docet, et imprimis, quae Proclus[2]) in Chrestom. Phot. cod. 239 attulit, cum his, quae ab Apollodoro tractata atque explicata sunt. Sed fuit proprium illius, qua floruit Apollodorus, aetatis carminibus atque historiis non distinctis solidas atque expressas superiorum fabulas et, quae vana atque inania a posteris cum poëtis tum logographis,

---

[1]) Welck. Ep. Cycl. pag. 37: Die Reihenfolge der Gedichte des epischen Cyclus ist hiernach folgende: Titanomachie. Danais. Amazonia (Atthis) Oedipodee. Thebais (od. Amphiaraos Ausfahrt) Epigonen (od. Alcmaeonis) Minyas (auch Phocais) Oechalias Einnahme. Cypria. Ilias. Aethiopis. Kleine Ilias. Ilioupersis. Nosten. Odyssee. Telegonee.

[2]) Proclus in Chrest. *περὶ τοῦ λεγομένου ἐπικοῦ κύκλου ἄρχεται μὲν ἐκ τῆς Οὐρανοῦ καὶ Γῆς μυθολογουμένης μίξεως· ἐξ ἧς αὐτῷ καὶ τρεῖς παῖδας γινώσκουσιν Ἑκατόγχειρας καὶ τρεῖς ἑτέρους ἀποτίκτουσι Κύκλωπας. διεξέρχεται δὲ περὶ θεῶν, τά τε ἄλλα τοῖς Ἕλλησιν μυθολογούμενα, καὶ εἴπου τι καὶ πρὸς ἱστορίαν ἐξαληθίζεται. καὶ περατοῦται ὁ ἐπικὸς λόγος, συμπληρούμενος ἐκ διαφέρων ποιητῶν, μέχρι τῆς εἰς Ἰθάκην ἀποβάσεως Ὀδυσσέως, ἐν. ᾗ· καὶ ὑπὸ τοῦ παιδὸς Τηλεγόνου, ἀγνοοῦντος ὡς πατὴρ εἴη, κτείνεται.*

qui vocantur, ficta sunt, in unum conjungere eoque modo quasi annales antiquissimarum aetatum perficere. Neque enim carmina modo, quae sunt cycli epici, in hoc opusculo memorantur, sed etiam aliorum scriptorum et poëtarum et grammaticorum nomina, quibus auctoribus Apollodorus fabulas exposuerit, laudantur. Ut igitur brevi comprehendam, κύκλος ἱστορικὸς intelligendum est illud opus, quo veterum fabulae directae ad rationem eorum, quae in cyclo epico insunt, auctae atque mutatae aliis ex quovis scriptorum genere petitis juventuti ad discendum sint institutae atque adornatae. Tale fuisse Apollodori opus videtur mihi primo hujus epigrammatis versu significari. Quod si statuas, maxime singuli versus sunt inter se congruentes atque convenientes, ut, quod universe primo versu significatur, singulis carminibus, ex quibus κύκλος παιδευτικὸς constat, enumeratis illustretur ac declaretur ceteris versibus.

Quo constituto ad propositum redeamus. Est manifestum nullo modo posse fieri, ut et loco Photii et epigrammate idem opus significatum sit. Quamvis enim occulta sint et quasi involuta cetera Photii verba, tamen per se ipsa sunt pellucida et perspicua illa σύνοψις δ' ἐστὶ τὰ πολλὰ τοῦ βιβλίου οὐκ ἄχρηστος τοῖς τὰ παλαιὰ ἐπὶ μνήμης ἔχειν λόγων μεταποιουμένοις: quae minime videntur mihi ad notionem κύκλου παιδευτικοῦ respondere. Quae quaestio et gravissima et difficillima varie a viris doctis tentata est. Atque Heynius quidem in comment. de Apoll. bibl. pag. XLI. „Poëmation hoc, inquit, cujus auctor nescio an nimis magnifice de Apollodori libello senserit, jam Photius in suo codice legerat“.

Dicit igitur et locum Photii et epigramma ad hoc, quale nunc est, opusculum referenda esse. Aliter autem placuit Muellero, qui in Fragm. Hist. Graec. Vol. I, pag. XLI. „Contra satis commode hujus loci (scl. Photii) confusio, inquit, explicatur, si statuamus Photium non solum epigramma illud in fronte operis legisse, sed etiam aliam brevem quandam notitiam, quae ad bibliothecam, qualem modo dixi, spectabat; deinde vero, cum haec omnia referret ad eam bibliothecae partem, quam in suo volumine reperit, eum diversa in unum conglutinasse". Opinatur enim illam bibliothecam, quae ab Apollodoro composita esset, constitisse ex hoc, quale nunc esset, opusculo et ex illo libro, cui nomen esset *χρονικά*. Sed ne hic quidem videtur mihi, quae ratio inter Photii locum et epigramma intercederet, recte docuisse. Itaque in hac quoque re Welckerum secutus existimo illud quidem epigramma non ad hoc opusculum, quod Photius agnoverit, sed ad cyclum historicum, qui vocatur, referendum esse: Photii autem verba solum ad illud, quale nunc est, opusculum, quod ex illo majore opere excerptum sit, spectare. Videmus igitur nullo alio modo hanc controversiam posse dijudicari, nisi exposuerimus, utrum hoc, quale nunc est, opusculum sit Apollodori, necne.

Hoc, quod nobis servatum est, opusculo omnia fere et a diis et ab hominibus antiquissimis temporibus gesta, ut supra diximus, enumerantur atque illustrantur. Eaedem autem fabulae cum cycli epici, qui vocatur, carminibus tractatae sint, si, quae fabulae ab Apollodoro receptae sint quique ordo earum sit institutus, cum

fabulis earumque ordine, qui in cyclo epico reperitur, contulerimus, cyclo epico hoc opusculum niti intelligemus. Atque in primo libro leguntur hae fabulae.

Theogonia (Titano- et Gigantomachia) Heroogonia (Prometheus) Thebais. Corinthiaca (Phrixos. Sisyphos) Melampodea. Argonautica.

Deinde altero libro continentur Phoronis (Phoroneus, Argos, Jo) Danais. Pisandri Heraclea. Minyas (bellum Minyum). Oechaliae expugnatio. Aegimios.

Tum tertio libro: Europe. Dionysiaca (a Thebaide dirempta) Epigoni. Hymnus in Hermen. Cypria (neglecto bello Myso. Palamede. Ixione) bellum Trojanum. Odyssea. Telegonea.

Sed contemplantibus, qua ratione singula sint tractata atque explicata, multum interesse inter hoc opusculum et cyclum epicum valde manifestum est: nam in cyclo epico fabulae illae suo quaeque carmine expositae sunt, in hoc opusculo aliarum mentio inchoata est, aliae sunt uberius copiosiusque illustratae: ut Photius recte videatur dicere *σύνοψις δ' ἐστὶ τὰ πολλὰ τοῦ βιβλίου*. Sunt autem haec, quae maximam hujus opusculi partem explent, Venatio Calydonia. Argonautarum cursus. Melampodea. Danais. Heraclea. Thebais. Trojanum bellum, Ulixis reditus, Telegonea: quorum ultima aut magna ex parte aut omnino temporum invidia interierunt. Videmus igitur illas maxime fabulas illustratas esse, quibus opus esset ad intelligenda illa opera, quae a maximis ingeniis nobis relicta essent. Cetera autem, quae in hoc opusculo insunt, ut illa, quae copiosius sibi illustranda proposuisset, partim memorato conti-

nenti genere illorum, quorum res gestae explicandae sunt, partim fabellis quibusdam interjectis viderentur inter se conjuncta esse atque copulata, exposita sunt breviter. Huc accedit, quod procedit oratio moleste ac obscure multisque locis est confusa atque perturbata, languent multa iterum ac saepe dicta. Haec omnia animos legentium non movent ita, ut exstructum esse hoc opusculum ab illo, qui omnes veterum fabulas tradendas illustrandasque sibi proposuerit, putemus — id quod ab Apollodoro factum esse ex epigrammatis versibus potest intelligi — sed valde manifestum fit opusculum esse ejus, qui e toto fabularum orbe certa quadam ratione ductus, si quid videretur, elegerit atque in unum coegerit. At quam viam ingressus auctor fabulas dispertiverit atque distribuerit, potest intelligi, quae quidem est Muelleri sententia, ex transitionibus, quae ut dictionis leniter sedatum ac aequabile flumen atque elaborata concinnitas viderentur effecta esse, orationi insertae sint. At enim ille in Fragm. Hist. Graec. Vol. I, pag. XXXIX. „At tamen e multis locis, inquit, apparet auctorem nostrum, ubi ad novam stirpem rerumque seriem transit, vel personae alicujus mentionem injicit, ad quam postea redeundum, vel de qua jam antea dictum erat, lectores monuisse atque hoc modo adumbrasse operis oeconomiam". Sed valde dubito, num de transitionibus ita liceat sentire, tamquam si omnia omnino in his solis vertantur.

Tria enim transitionum genera leguntur: quorum unum[1]), quo auctor nos admonet alio loco aliquam rem

[1]) I, 2, § 6. I, 3, § 4. I, 7, § 1. II, 1, § 4 (2). III, 1, § 3 (5).

explicari commodius; alterum[1]), quo ad novam stirpem novamque fabularum seriem utitur transitionem facturus: tertium[2]), quo satis de re aliqua videri sibi dictum esse significat. Sed tantum abest, ut in his formulis orationi insertis scriptor sibi constiterit: ut eas modo posuerit modo neglexerit neque, cur id fecisset, significaverit. Quid? cum in fabulis memoratis, quae et de Sirenis et de Prometheo et de Ariadne feruntur, postea se has fabulas persecuturum esse dicat, nonne iisdem verbis uteretur necesse erat eo loco, quo Melampodem[3]) feminas Argivas sanasse, Bellerophontem Chimaeram necavisse traderet? praesertim cum postea eaedem res exponantur copiosius? Quid? Beli et Agenoris stirpe enumerata fabulas, quae de Atlante feruntur, et paullo post Cecropis stirpem[4]) expositurus, cur his formulis non usus est? Quid? tertium transitionum genus cur non usurpatum est, ubi parte Dionysiacorum, quae vocantur, vel hymni in Hermen exposita ad aliam rem illustrandam aggressus est? Quae cum ita sint, cum istae formulae modo positae sint modo neglectae neque ex rebus ipsis, cur ita factum sit, possit intelligi, ruere in dicendo

---

1) II, 1, § 1. III, 1, § 1. III, 8, § 1.

2) I, 6, § 3 (12). III, 3, § 2.

3) I, 9, § 12 (8) *ὡς δὲ τὰς ἐν Ἄργει γυναῖκας ἐξέμηνε Διόνυσος ἐπὶ μέρει τῆς βασιλείας ἰασάμενος (Μελάμπους αὐτὰς, ἐκεῖ μετὰ Βίαντος κατῴκησε.* Quae fabula explanata est copiosius II, 2 § 1 (4). I, 9, § 3. *ἐξ αὐτῶν παῖς γίνεται Γλαῦκος, ᾧ παῖς Βελλεροφόντης ἐξ Εὐρυμέδης ἐγεννήθη.* Ad quam fabulam oratio redit II, 3, § 1.

4) III, 10, § 1. *Ἄτλαντος δὲ καὶ τῆς Ὠκεανοῦ Πληϊόνης ἐγένοντο θυγατέρες ἑπτά.* III, 14, § 1. *Κέκροψ αὐτόχθων συμφυὲς ἔχων σῶμα ἀνδρός.*

videtur mihi Muellerus, qui oeconomiam operis illis transitionibus adumbrari opinatur. Etenim si ex illis velimus colligere, quam viam in fabulis adornandis auctor ingressus sit, ponendas fuisse illas omnibus iis locis, ubi necesse esset, perspicuum est. Quod non factum esse modo exposuimus. Sed ne Galeo quidem, qui etiam plus his transitionibus tribuit, possum assentiri. Qui postquam contra eos, qui epitomen esse bibliothecam contendunt, disseruit. „Mecum sentiet, inquit, qui repetitiones, transitiones animadvertet, qui consideret multis in locis tamquam *αὐτοπροσώπως* loqui Apollodorum, veluti *περὶ ὧν ἐροῦμεν*".

Quamquam enim confiteor has formulas esse Apollodori, tamen, quid sibi Galeus videatur posse ex his colligere, non probo. Equidem enim existimo, quae est mea sententia, ab illo, qui Apollodori opus in hanc formam redegisset, has formulas iisdem fere verbis ex majore illius opere in hoc translatas esse. Sed jam singula videamus.

Atque, ut a primo transitionum genere ordiar, scriptorem in illis auctoribus eligendis, quos secuturus sit, uti quodam judicio videmus: nam, postquam oratio ad Perieren, Aeoli filium, processit, fabulae, quae de illo ejusque progenie feruntur, hoc loco non enumerantur, cum multis auctoribus Perieres dicatur natus esse non Aeolo, sed Cynorta, Amyclae filio. Verba haec sunt I. 9. § 5. *πολλοὶ δὲ τὸν Περιήρην λέγουσιν οὐκ Αἰόλου παῖδα, ἀλλὰ Κυνόρτα τοῦ Ἀμύκλα διόπερ τὰ περὶ τῶν Περιήρου ἐκγόνων ἐν τῷ Ἀτλαντικῷ γένει δηλώσομεν.* Neque dubium videtur esse mihi, quin haec sint Apol-

lodori: sed ob id ipsum, quod Apollodori verba sint, a Galeo dissentio. Cum enim his verbis Apollodorus significet in fabulis explicandis atque adornandis se judicio quodam usum esse, multis aliis locis, quibus etsi eadem ratio reperitur, non tamen leguntur, ponenda erant. Quod si statuas esse scriptoris elegantis et arguti eam dispositionem atque rationem, quam primo instituit, usque ad finem tueri ac servare, cum in hoc opusculo formulae, ut supra docuimus, modo positae sint modo neglectae, satis fit apertum hoc opusculum non esse ab Apollodoro compositum.

Sequatur alterum transitionum genus. Quae formulae leguntur solum in illa opusculi parte, qua Inachi stirps enumeratur. Est enim Inachi stirps in tres partes divisa atque digesta, quarum prima Beli progenies, altera Agenoris, tertia Pelasgi continetur: quae singula ut inter se conjungerentur atque copularentur, illae formulae interjectae sunt. Sed priusquam longius progrediamur, de hac opusculi parte pauca sunt praefanda. Patet enim hunc opusculi locum, quo Inachi stirps contineatur, maxime illum esse, ubi nec oratio sit dissoluta ac divulsa et fabulae alia ex alia nexae omnesque inter se aptae colligataeque videantur, ut major perpetuitas quaedam ac continuatio orationis quam in ceteris partibus effecta sit. Quam ad dispositionem aperiendam omnemque orationem faciendam clariorem multum illae transitionum formulae pertinent. Quae cum ita sint, hoc loco illum, qui Apollodori opus in hanc formam redegisset, maxime illius vestigia secutum esse, ut dispositio ab Apollodoro ipso instituta nobis sit servata, jure meo videor posse

statuere. Quamobrem si hanc opusculi partem cum ceteris contulerimus, cum illa dispositio non retenta sit, non potest fieri, ut hoc opusculum sit Apollodori. Atque eadem ratio in tertio transitionum genere reperitur.

Videamus igitur, quid videar mihi consecutus esse. Apollodorus his transitionibus usus est, ut dictionis leniter sedatum et aequabile flumen atque elaboratam concinnitatem efficeret: in hoc opusculo neque oratio leniter ac aequabiliter procedit neque omnino transitiones eae sunt, quae id possint efficere, cum ad arbitrium sint modo positae modo neglectae. Itaque plane Muellero assentior, qui Fragm. Hist. Graec. Vol. I, pag. XL dicit hanc tractationis inaequabilitatem arguere scriptorem defessum, quae ad res minus spectare videbantur, omittentem, omni modo ad finem properantem: modo ne Apollodorum intelligas, sed eum qui illius opus in hanc formam redegit. Sed haec haetenus.

Quod autem sermo ipse hujus opusculi est fluctuans quoddam inter poësin et orationem genus[1]) dicendi, Clavierus in praefatione ad Apollod. bibliothecam censet Apollodorum in genuino opere eodem fere modo, quo Athenaeum et Stephanum Byzantium ipsos poëtarum locos adscripsisse, quos deinde ille, qui Apollodori opus excerpsisset, in orationem solutam vertisset, sed non satis docte, ut non ubique poëticae orationis colorem agnoscere possemus, sicuti in fabulis Melampi, Admeti,

---

1) I, 9, § 21 (1) *βάσεις* pedes, *ὄψεις* oculi. I, 9, § 28 *λάβρον πῦρ*. I, 9, § 24 *λάβρον χειμῶνα*. I, 9, § 25 *τὴν ἐναντίαν μοῦσαν μελῳδῶν*. I, 9, § 1 (4) *ὤλισθεν εἰς τὸν βυθόν*. I, 9, § 10 *μυχοῦ τοῦ πόντου*.

Minois". Statuit igitur Clavierus se colligere posse ex vocibus poëticis sermoni insertis opusculum illud esse epitomen. A quo summo viro dissentio. Est enim dicendus poëtarum versus in orationem solutam vertisse ille, qui non modo res ipsas in vertendo retinuisset, sed etiam illa, quae pertinerent ad res ornandas ac augendas. Quod num in hoc opusculo factum sit, est quaerendum. Atque, ut hoc afferam, in Phorci filiis commemoratis haec verba exstant II, 4, § 2 (3) (*Φόρκυς*) *ἦσαν δὲ αὗται Κητοῦς τε καὶ Φόρκου, Γοργόνων ἀδελφαὶ, γραῖαι ἐκ γενετῆς*. Quae ex Hesiodi theogonia V. 270 desumpta esse patet, ubi haec legimus:

*Φόρκυϊ δ' αὖ Κητὼ γραίας τέκε καλλιπαρῄους*
*ἐκ γενετῆς πολιὰς, τὰς δὲ Γραίας καλέουσιν.*

At si duos locos inter se contuleris, solis verbis *γραίας ἐκ γενετῆς* et Apollodorum et Hesiodum consentire intelliges: cum enim ex Apollodori loco verba *Κητοῦς δὲ καὶ Φόρκου,* quod jam Heynius vidit, amovenda sint, haec sola relinquuntur *ἦσαν δὲ αὗται Γοργόνων ἀδελφαὶ γραῖαι ἐκ γενετῆς*. Videmus igitur duo Hesiodi verba in hoc opusculum translata esse: ut non possent Hesiodi versus in orationem solutam versi esse dici. Neque aliter est, ubi Typhonis figura depingitur. Quo loco tam multae voces poëticae reperiuntur, ut non dubitari possit, quin illa poëtae alicujus loco nitantur. At ut taceam ex his singulis verbis non posse restitui versus, res quidem nobis traditae sunt, sed quomodo illae sint exornatae atque amplificatae, non potest intelligi. Huc accedit, quod, si Clavierus recte statuisset, nobis erat statuendum Apollodorum neque ipsum pugnam

Typhonis cum diis commissam illustravisse et Gigantomachia exposita adscripsisse poëtae alicujus locum, quo dissoluto in orationem haec, quae nunc exstant, facta essent.

Multo veresimilius videtur mihi esse illud, quod a Sommero in praefat. ad Apoll. edit. allatum est. Statuit enim hoc dictionis genus eo effectum esse, quod Apollodorus operibus et poëtarum et scriptorum usus esset: itaque Apollodorum suo, qui dicatur, stylo usum esse nullo. Cui sententiae plane assentior. Nec enim, quo puro ac candido dicendi genere usi sunt priorum aetatum scriptores, quanta elegantia ac urbanitate, in his virtutibus aequandis hujus aetatis homines operam consumpserunt, cum non tam sermonis elegantia vellent allicere ac movere, quam rebus ipsis: adde, quod res ipsae, quae ab Apollodoro tractatae sunt, non erant molles et tenerae et ita flexibiles, ut sequerentur, quocunque torqueres. Itaque existimo, ut jam antea Sommerus, Apollodorum et argumenta sua ex quovis operum genere collegisse atque congessisse et in singulis rebus enarrandis illius auctoris, quem sequeretur, voces retinuisse ac in suum opus transtulisse. Ergo considerans et unde Apollodorus res suas petiverit, et quod fuerit illius aetatis genus dicendi, puto non fieri posse, ut hujus opusculi sermone ita offendamur, ut eo, quo Clavierus vult, modo illud inter poësin et orationem fluctuans genus dicendi effectum esse existimemus.

Redeamus nunc ad illud, quod nobis propositum est. Fabulae, quae hoc opusculo continentur, ut supra diximus, ita tractatae sunt, ut aliarum mentio sit inchoata,

aliae copiosius uberiusque sint illustratae. Sed ne illae quidem, quae maximam, ut supra docuimus, opusculi partem explent, sunt tam fuse ac copiose explanatae quam ab aliis auctoribus, sed singulae fabulae sunt valde concisae ac amputatae. Itaque hac quoque re videtur mea sententia, qua hoc opusculum non esse Apollodoro assignandum statuitur, posse confirmari: praesertim cum in hoc opusculo permulta insint, unde illas fabulas illustratas esse ab Apollodoro uberius possis conjicere. Atque ut ab illa parte, qua Heraclea continetur, ordiar, rebus ab Hercule gestis commemoratis sequitur series illorum, qui Hercule nati sunt (bibl. II, 7, § 8 [8]). Quam seriem liceat mihi persequi.

Primum enim Thessalus dicitur natus esse e Chalciope, Eurypyli filia. Eadem exstant apud Scholiasten Pindari Nem. IV, V. 40, ubi legimus: *ὅτι δὲ Ἡρακλῆς ἐπόρθησε τὴν Κῶ ἀπὸ τῆς Ἀσίας κατιών, καὶ Ὅμηρος μαρτυρεῖ* (Il. ξ, 255) *ἔλαβε δὲ καὶ Χαλκιόπην ἐξαίρετον τὴν Εὐρυπύλου τοῦ βασιλέως θυγατέρα, ἀφ᾽ ἧς ἔσχεν υἱὸν Θέσσαλον, οὗ παῖδες Φείδιππος καὶ Ἄντιφος ἐν Ἰλίῳ στρατεύσαντες.*

Et apud Pheceyd. fragm. 35 (Fragm. Histor. Graec. Vol. I) *κατασυρεὶς δὲ (Ἡρακλῆς) εἰς Κῶ τὴν Μεροπίδα, ἐκωλύθη ἐπιβῆναι τῆς νήσου ὑπὸ Εὐρυπύλου τοῦ Ποσειδῶνος, βασιλεύοντος αὐτῆς. Βιασάμενος δὲ καὶ ὡς λῃστὴς ἐπιβὰς ἀνεῖλε τὸν Εὐρύπυλον καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ. Μιγεὶς δὲ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ Χαλκιόπῃ Θεσσαλὸν ἐγέννησε. Ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Φερεκύδῃ.*

Apollodorus quamquam Herculem Troja capta Coum insulam delatum devastavisse Eurypylumque regem ne-

cavisse nobis tradit, Chalciopen filiam ab eo compressam esse nihil commemorat. Legimus enim haec II, 7 § 1 (1) *προςέπλει δὲ Ἡρακλῆς τῇ Κῷ· καὶ νομίσαντες αὐτὸν οἱ Κῷοι λῃστρικὸν ἄγειν στόλον, βάλλοντες λίθοις προςπλεῖν ἐκώλυον. ὁ δὲ βιασάμενος τὴν νύκτα* (*νῆσον* Aegius) *εἷλε, καὶ τὸν βασιλέα Εὐρύπυλον, Ἀστυπαλαίας παῖδα καὶ Ποσειδῶνος, ἔκτεινεν.* Quos tres locos si inter se contuleris, intelliges valde inter se consentire ita, ut non possis dubitare, quin et Apollodorus et Scholiastes Pindari secuti sint Pherecydem. Quae cum ita sint, valde mirum est, quid sit, quod Apollodorus Thessalum Chalciope et Hercule natum esse non tradat. At ego existimo eam non esse Apollodori culpam, sed ejus, qui Apollodori opus in has epitomarum angustias compulerit. Nam primum in hoc opusculo eo loco ipso, ubi Herculis liberi enumerantur, Thessalus Hercule et Chalciope natus esse traditur, ut hanc fabellam Apollodoro non ignotam fuisse intelligamus. Deinde Apollodorus est Pherecydem secutus, a quo Thessalus filius memoratur. Ergo valde probabile est Apollodorum hanc quoque fabellam illustravisse eo loco, ubi Coum ab Hercule expugnatam esse narraret.

Deinde memoratur Thestalus natus ex Epicaste, Augeae filia. Fertur enim Hercules exercitu coacto, ut Augeam ulcisceretur, Elidem expugnavisse Epicaste, Augeae filia, duce ex eaque Thestalum genuisse. Traditur hoc ab auctore Mirab. Natul. 59 ubi Phenei (in Arcadia) ait spectari statuas ex orichalco factas *ἐπιγέγραπται δὲ αὐτοῖς Ἡρακλῆς ὁ Ἀμφιτρύωνος Ἦλιν ἑλὼν ἀνέθηκεν:* additur *αἱρεῖ δὲ τὴν πόλιν ἡγουμένης κατὰ χρησμὸν*

γυναικός, ἧς τὸν πατέρα Αὐγείαν ἀπέκτεινεν — neque vero dubitari potest, quin Epicaste sit haec femina — et Tabula Farnes. l. 34 Ἐπικάστης τῆς Αὐγέου Θέσσαλος. Elis ab Hercule capta esse quamquam et ab aliis auctoribus et in scholiis traditur, nusquam tamen Epicasten nec ab Hercule compressam esse nec patriam prodidisse legimus: ne nomen quidem ejus reperimus memoratum. In hoc opusculo ipsa Epicaste non commemoratur nisi illo loco, ubi Herculis liberi enumerantur. At Apollodorum hanc fabellam non ignorasse meo jure videor posse colligere, cum in hoc opusculo nobis tradatur Thestalus ex Epicaste natus esse. Itaque non potest dubitari, quin Apollodorus, ubi Elidem ab Hercule captam esse tradidisset, illo loco hanc quoque fabulam explicaverit.

Jam vero nullo alio loco nisi hic memorantur Parthenope, Stymphali filia, et Autonoe Pereo nata. Alio bibliothecae loco reperimus Stymphalum quendam et Pereum Elato natos esse. Exstant enim haec III, 9, § 1 (2) οὗτοι τὴν γῆν ἐμερίσαντο, τὸ δὲ πᾶν κράτος εἶχεν Ἔλατος· ὃς ἐκ Λαοδίκης τῆς Κινύρου Στύμφαλον καὶ Περέα τεκνοῖ, Ἀφείδας δὲ Ἄλεον καὶ Σθενέβοιαν, ἣν γαμεῖ Προῖτος: et apud Pausaniam VIII, pag. 605 Παῖδα Ἀζᾶνι μὲν Κλείτορα, Ἀφείδαντι δὲ Ἄλεον, Ἐλάτῳ δέ φασιν εἶναι πέντε, Αἴπυτον, Περέα Κυλλῆνα, Ἴσχυν, Στύμφαλον. Neque dubium videtur mihi esse, quin et hic et illic iidem intelligendi sint. Sed loco bibliothecae supra memorato cognoscimus Neaeram Pereo natam esse: Stymphali liberi non memorantur. At aliud quid tamen videor mihi inde posse probare. Constat Parthenopen

atque Autonoen esse ex eo numero, qui ab Elato orti sint. Herculem autem una cum liberis Elati Tegeae adfuisse inde apparet, quod in hoc opusculo ille traditur Augen, Perei neptem, compressisse et, cum Lacedaemoni bellum illaturus esset, in Arcadiam profectus Cepheum, Perei nepotem, socium sibi adjunxisse. Verba haec sunt, II, 7, § 3 (4) *καὶ παραγενόμενος εἰς Ἀρκαδίαν ἠξίου καὶ Κηφέα μετὰ τῶν παίδων, ὧν εἶχεν εἴκοσι, συμμαχεῖν.* II, 7, § 4 *Παριὼν δὲ Τέγεαν Ἡρακλῆς τὴν Αὔγην Ἀλεοῦ θυγατέρα οὖσαν ἀγνοῶν ἔφθειρεν.* III, 9, § 1 (5) *Ἀλέου δὲ καὶ Νεαίρας τῆς Περέως θυγάτηρ μὲν Αὔγη, υἱοὶ δὲ Κηφεὺς καὶ Λυκοῦργος. Αὔγη μὲν οὖν ὑφ' Ἡρακλέους φθαρεῖσα κατέκρυψε τὸ βρέφος ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς.* Quae cum ita sint, cum Parthenope et Autonoe ab Elato ortae sint atque Hercules, ut ex locis allatis potest intelligi, in hoc opusculo in Arcadia tradatur fuisse liberisque Elati familiariter usus esse, ab Apollodoro illas quoque fabulas, quae de Parthenope et Autonoe ferrentur, expositas esse non dubito colligere: praesertim cum utraque illo loco commemoretur, ubi Herculis liberorum numerus initur. Ergo utrum haec fabella illo loco exposita sit, ubi Hercules narraretur Lacedaemoniis bellum intulisse, an concisus sit atque amputatus hic locus, quo stirps Elati contineretur, certis testimoniis non possum confirmare: at illam fabellam Apollodorum in suo opere attigisse videor mihi satis demonstravisse.

Sequatur ille locus, ubi Hercules dicitur manum cum Amyntore, Ormenii rege, conseruisse. Exstant enim in hoc opusculo haec: II, 7 § 7 (6) *Ὡς δὲ εἰς Ὀρμένιον*

*ἧκεν, Ἀμύντωρ αὐτὸν ὁ βασιλεὺς μεθ᾽ ὅπλων οὐκ εἴα διέρχεσθαι. Κωλυόμενος δὲ παριέναι καὶ τοῦτον ἀπέκτεινεν.* Quae res uberius exposita est a Diodoro, qui in plurimis rebus ab Hercule gestis illustratis consentit cum Apollodoro ita, ut Apollodori auctoritatem ille maxime videatur secutus esse. Legimus enim haec IV, 37 *ἐκ δὲ τῆς Ἰτώνου πορευόμενος καὶ διὰ τῆς Πελασγιώτιδος γῆς βαδίζων Ὀρμενίῳ τῷ βασιλεῖ συνέμιξεν, οὗ τὴν θυγατέρα ἐμνήστευσεν Ἀστυδάμειαν. οὐ προςέχοντος δὲ αὐτοῦ διὰ τὸ ἔχειν αὐτὸν γαμετὴν Δηϊάνειραν τὴν Οἰνέως, στρατεύσας ἐπ᾽ αὐτὸν τήν τε πόλιν εἷλε καὶ τὸν ἀπειθοῦντα βασιλέα ἀπέκτεινεν· τὴν δὲ Ἀστυδάμειαν αἰχμάλωτον λαβὼν καὶ μιγεὶς αὐτῇ Κτήσιππον υἱὸν ἐγέννησεν.* Inter hos duos locos quamquam multum videtur interesse, tamen existimo eum Apollodoro Diodorum fecisse. Cum enim in hoc opusculo Ctesippus dicatur ex Astydamia natus esse — exstant enim in liberis Herculis enumeratis haec *Ἀστυδαμείας τῆς Ἀμύντορος Κτήσιππος* — non potest dubitari, quin Apollodorus hanc fabellam eodem modo ac Diodorus explicaverit et eo quidem loco, ubi Hercules Amyntorem vicisse narraretur. Ergo recte mihi videor illam priorem locum mutilatum esse statuere.

Restat, ut de Omphale dicam, e qua Agesilaus traditur genitus esse. Aliter vero Diodoro placuit, qui cum exponeret, quae ab Hercule Omphalae serviente gesta essent, Lamum ex Omphale genitum esse censuit. Verba haec sunt IV, 31 *ἡ δ᾽ Ὀμφάλη ἀποδεχομένη τὴν ἀνδρείαν τοῦ Ἡρακλέους καὶ πυθομένη τίς ἐστι καὶ τίνων, ἐθαύμασε τὴν ἀρετήν· ἐλεύθερον δὲ ἀφεῖσα καὶ συνοικήσασα*

*αὐτῷ Λάμον ἐγέννησε.* Quae paullo ante a Diodoro de Cercopibus subjectis et de Syleo interfecto allata sunt, eadem invenimus ab Apollodoro exposita II, 6, § 3 (2) *Ἡρακλῆς δὲ Ὀμφάλῃ δουλεύων, τοὺς μὲν παρὰ τὴν Ἔφεσον Κέρκωπας συλλαβὼν ἔδησε. Συλέα δὲ ἐν Αὐλίδι τοὺς παριόντας ξένους σκάπτειν ἀναγκάζοντα, σὺν ταῖς ῥίζαις τὰς ἀμπέλους σκάψας, μετὰ τῆς θυγατρὸς Ξενοδίκης ἀπέκτεινε.* Videmus igitur et in hoc opusculo et apud Diodorum eadem relata esse, sed ita, ut hic Herculis filius nominetur Agelaus, illic Lamus. Minime autem refert ad hoc, quod nobis propositum est, ab Apollodoro Omphalae filio nomen imponi Agelai, a Diodoro Lami, cum uterque una voce tradat filium ex Omphale genitum esse. Ergo existimo in Apollodori opere fabulas, quae de Hercule Omphalae serviente ferrentur, uberius copiosiusque quam in hoc opusculo illustratas esse.

Reliquae feminae, quorum nomina hoc loco leguntur, paullo ante in rebus ab Hercule gestis expositis commemoratae sunt. Sed scholia scriptaque veterum perscrutantes multos Hercule natos in hoc opusculo non memoratos esse invenimus. Itaque Heynius in Observ. ad Apollod. pag. 200 „Ceterum mirum est, inquit, quod et Galeo ita visum, nostrum scriptorem, tam putide subtilem in Thespiadis eorumque matribus enarrandis, multos alios Herculis filios omisisse: Antiochum e Midea[1]), Phylantis filia Diodor. IV, 37. Pausanias[2]) X, 10

[1]) Diod. IV, 37: *τὴν δὲ Φύλαντος θυγατέρα λαβὼν αἰχμάλωτον, καὶ μιγεὶς αὐτῇ υἱὸν Ἀντίοχον ἐγέννησεν.*

[2]) Pausan. X, 10: *ἐκ δὲ τῶν ἡρώων καλουμένων Ἐρεχθεύς τε*

e quo nepotem Hippotam ipse Apollodorus memorat infra II, 8, § 3 (2)[1]) Palaemonem ex Iphinoe Antaei filia memoratur apud Scholiasten[2]) Lycoph. 662". Nihil minus contraque culpa videtur ejus esse, qui Apollodori opus in hanc formam redegit. Nam fabellam, qua Antiochus e Phylantis filia natus esse traderetur, ab Apollodoro illustratam esse ex his caussis videor mihi posse conjicere. Atque prior caussa videtur mihi inde repetenda esse, quod Apollodorus ipse — id quod Heynius jam vidit — eo loco, ubi de Heraclidarum fortuna disseritur, et Antiochum et illum, qui eo ortus est, commemorat. Notam igitur fuisse ei illam fabellam, qua Hercules Antiochum genuisse dicatur, necesse est. Altera autem est, quod Herculem Nesso interfecto in Dryopes, quorum regnum Diodoro auctore Phylas obtinebat, pervenisse Apollodorus dicit. Verba haec sunt II, 7, § 7 *διεξιὼν δὲ Ἡρακλῆς τὴν Δρυόπων χώραν ... ....ὡς δὲ ἦλθεν εἰς Τραχῖνα πρὸς Κήϋκα, ὑποδεχθεὶς ὑπ' αὐτοῦ, Δρύοπας κατεπολέμησεν.* Satis igitur argumenti videtur in hoc opusculo inesse, quod Apollodorus illas res uberius exposuerit quam in hoc opusculo factum est. Itaque his omnibus locis examinatis ac perpensis meo jure videor hanc summam conficere, ut hoc, quale nunc est, opusculum non sit Apollodori, sed ab alio aliquo Apollodori opus in hunc exiguum gyrum coactum sit.

---

*καὶ Κέκροψ καὶ Πανδίων, οὗτοι μὲν δὴ καὶ Λεώς τε καὶ Ἀντίοχος ὁ ἐκ Μήδας Ἡρακλεῖ γενόμενος τῆς Φύλαντος.*

1) II, 8, § 3 (12): *τοῦτον βαλὼν ἀκοντίῳ Ἱππότης ὁ Φύλαντος τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Ἡρακλέους τυχὼν ἀπέκτεινε.*

2) Lycoph. 662: *ἐμίγη τῇ τοῦ ῥηθέντος Ἀνταίου γυναικὶ Ἰφινόῃ καὶ ἐξ αὐτῆς παῖδα γεννᾷ Παλήμονα.*

Sed omnino numerum hunc Herculis liberorum initum ab illo, qui Apollodori opus in hanc formam redegerit, interpositum esse valde videtur mihi probabile esse. Quod ut statuam, duabus caussis moveor. Atque primum quidem auctor videtur mihi id tetendisse, ut illa nomina, quae in rebus, quae ab Hercule gestae sunt, enumeratis omissa essent, hoc loco memorarentur: deinde ut ad res fortunamque Heraclidarum exponenda transitio fieret. Cum enim Apollodorus, ut modo demonstravimus, in rebus Herculis illustratis tradiderit, qui Hercule nati essent, nihil videtur mihi esse, cur hoc loco iterum nomina illorum afferantur. Huc accedit, quod oratio nominibus interpositis est dissoluta ac divulsa: nam multo commodius oratio ita procederet, ut morte Herculis exposita verba sequerentur *μεταστάντος δὲ Ἡρακλέους εἰς θεοὺς οἱ παῖδες* etc. Jam Heynius inutilem operam esse sensit nomina sola congerendi ac cumulandi. Legimus enim in Observ. ad Apoll. pag. 107 haec „Quis primus inter veteres mythorum auctores tam inutilem operam locaverit, ut illa nomina comminisceretur, non invenio. Morem tamen hunc viguisse aliquando, et poëtas sequiores in tali recensu doctrinae ostentationem quaesivisse tot aliis exemplis constat; ut Oceanidum, Nereidum, Argonautarum“. Quam sententiam ab Heynio allatam quamquam per se ipsam probo, tamen hunc locum, ubi Herculis liberi enumerentur, valde a ceteris differre statuo. Illic enim nomina, quae recensentur, nondum memorata sunt: ut illa nomina, ad quae postea oratio reditura esset, ab auctore enumerari necesse esset. Hic quid opus erat illa repetere,

quorum mentio jam antea facta esset? Quae cum ita sint, haec nominum series videtur mihi non ab Apollodoro hoc loco posita esse, sed ab illo, qui opus in hanc formam redegisset.

Progrediamur autem, quoniam ab eo, quod nobis propositum est, discessimus. Quemadmodum ex his, quae modo explicavimus, plura in Apollodori opere lecta esse quam in hoc opusculo manifestum fit: ita ex iis, quae sequuntur, bibliothecam esse epitomen cognoscemus. Permulta enim Apollodori nomine apposito et in aliorum scriptorum operibus et in scholiis reperiuntur, quae magna ex parte in hoc, quale nunc est, opusculo desunt. Qua re permotus Heynius illa ex alio Apollodori opere desumpta esse statuit. Aliter mihi placet. Existimo enim plurima illorum ab Apollodoro explicata esse in opere suo, quo omnes antiquissimorum temporum fabulae continerentur: missa autem facta esse ab illo, qui in illius opere excerpendo versatus esset. Liceat mihi hanc sententiam singulis locis exponendis tueri ac defendere.

Legimus in Scholiis ad Pindar. Olymp. ϑ, V. 64 haec *Ἀπολλόδωρός φησιν, οὐκ ἐν Ὀποῦντι, ἀλλὰ ἐν Κύνῳ τὸν Δευκαλίωνα καὶ Πύῤῥαν οἰκῆσαι .... ὁ γὰρ Ἀπολλόδωρος οὕτω γράφει· οἰκῆσαι δὲ ἐν Κύνῳ τὸν Δευκαλίωνα λέγεται καὶ τὴν Πύῤῥαν καὶ τὴν Πρωτογένειαν ἐκεῖ τετράφθαι φασίν.* A quibus discrepant, quae inveniuntur in bibliotheca I, 7, § 2 *Δευκαλίων δὲ, ἐν τῇ λάρνακι διὰ τῆς θαλάσσης φερόμενας ἐφ' ἡμέρας ἐννέα καὶ νύκτας ἴσας, τῷ Παρνασσῷ προσισχεῖ κἀκεῖ τῶν ὄμβρων παῦλαν λαβόντων, ἐκβὰς θύει Διῒ Φυξίῳ.* Quod

in scholiis legitur Deucalionem Cyni, cum aquae decrevissent, habitasse, in eo, quod nunc habemus, opusculo non traditum est. Heynius, quem, quae in scholiis Pindari exstant, non effugerunt, arbitratur in extrema bibliothecae parte, quae deperdita esset, ea inventa esse. „Forte enim, inquit Fragm. Apollod. pag. 387, oratio etiam ad Locros redierat: ut inde petitum esse possit, quod Schol. Pindari habet ad Olymp. X, V. 64". A qua viri docti sententia animus meus abhorret. Scholiasta enim perspicue facit Apollodorum non aliorum sententiam tradentem, sed suam ipsius proferentem. Quis autem est, qui sibi persuadeat Apollodorum non eo loco, ubi dedita opera, quae a poëtis de Deucalione tradita sunt, exponeret, sed ubi forte eorum fieret mentio, suam ipsius sententiam in medium attulisse? Statuo igitur haec, quae apud Scholiasten legerentur, explicata esse ibi ab Apollodoro, ubi Deucalionis fabula memorata sit. Quod autem hoc constituto Apollodorus secum ipse videtur pugnare, cum in hoc opusculo Deucalionem appulisse ad Parnassum tradat, apparet statim nobis hoc opusculum perlegentibus consuetudinem scriptoris esse, ut, quae de re aliqua varie tradita sint, deinceps enarret. Atque eodem modo Apollodorus hoc loco et suam sententiam et aliorum aperuit. Ergo si haec, quae in scholiis Pindari exstant, locum habeant necesse est, ubi quae de Deucalione a poëtis tradita sunt, exponantur, inde efficitur, ut hoc, quale nunc est, opusculum non sit Apollodori.

Atque eadem ratio reperitur in illis, quae in Scholiis ad Eurip. Rhes. V. 347 afferuntur οἷς καὶ Ἀπολλόδωρος

ἐπηκολούθησε γράφων οὕτως· τὰς μὲν Μούσας οἱ μὲν πλεῖστοι παρθένους παραδεδώκασι· γράφεται δὲ εἶναι Οὐρανίας μὲν Λῖνον, Καλλιόπης δὲ Ὀρφέα, Μελπομένης δὲ Θάμυριν, Εὐτέρπης δὲ Ῥῆσον, Τερψιχόρης δὲ Σειρῆνας, Κλείους δὲ Ὑμέναιον, τῶν δὲ λοιπῶν Θαλείας Παλαίφατον, ἐκ δὲ Πολυμνίας Τριπτόλεμον· Ἐρατὼ δὲ ἐρασθῆναι μὲν Ὑακίνθου, τελευτήσαντος δὲ αὐτοῦ μηδένα μηδ' υἱὸν γενέσθαι αὐτῶν. Hoc loco, qui ex Apollodori opere petitus est, Musarum filii enumerantur. In bibliotheca haec exstant I, 3, § 2 Καλλιόπης μὲν οὖν καὶ Οἰάγρου, κατ' ἐπίκλησιν δὲ Ἀπόλλωνος, Λῖνος, ὃν Ἡρακλῆς ἀπέκτεινε, καὶ Ὀρφεύς. § 3 Κλειὼ Πιέρου τοῦ Μάγνητος ἠράσθη, κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης .... συνελθοῦσα δὲ ἐγέννησε ἐξ αὐτοῦ παῖδα Ὑάκινθον. § 4 Εὐτέρπης δὲ καὶ ποταμοῦ Στρύμονος Ῥῆσος ... Θαλείας δὲ καὶ Ἀπόλλωνος ἐγένοντο Κορύβαντες. Μελπομένης δὲ καὶ Ἀχελῴου Σειρῆνες. Quem locum si cum iis, quae in Scholio exstant, contuleris, et plures in Scholio filios nominatos esse et nonnullos ex aliis Musis natos dici intelliges. Dindorfius in Adnot. ad Schol. Euripidis in eo acquiescit, quod multa pugnantia in Apollodori opere insint. Subjicit huic Scholio haec „Quae hic leguntur, iis prorsus contraria sunt, quae de Musarum filiis idem biblioth. I, 3, § 2 narravit: ut ex alio Apollodori libro haec hausta esse minime dubitem. Apollodorum vero aliis locis alia tradidisse nemo erit, qui miretur: praesertim cum in ipsa bibliotheca multa insint pugnantia“. Atqui vide, ne culpa ejus, qui excerpsit, factum sit, ut pugnantia in hoc opusculo insint. Ego haec quoque Scholiastae verba in opere ab Apol-

lodoro ipso confecto locum habuisse, ubi enumeraretur in hoc opusculo Musarum progenies, neque quidquam esse, quod Apollodorum secum ipsum pugnare putemus, existimo. Nam e Scholiastae verbis, cum dicatur *οἱ μὲν πλεῖστοι παρθένους παραδεδώκασιν· γράφεται δὲ εἶναι* etc., Apollodorum, quae ab aliis de Musarum progenie allata essent, aperuisse valde manifestum fit. Quod si statuis, si et quae in hoc opusculo dicuntur, et quae a Scholiaste allata sunt, inter se discrepant, non secum ipsum Apollodorum pugnare, sed cum aliis, qui de eadem re alia tradiderint, intelliges. Quae cum ita sint, nihil videtur mihi esse, cur Scholiastae verba apud Apollodorum ipsum non lecta sint, ubi in hoc opusculo Musarum progenies tradatur: praesertim cum scriptoris proprium fuisse deinceps enarrare, quae varie de eadem re allata essent, supra dixerimus. Ergo si haec, quae in Scholio exstant, illo loco ab Apollodoro sunt commemorata, per se ipsum perspicuum est ejus opus esse concisum atque amputatum.

Perpendamus illa, quae Eustathius ad Odyss. ψ, 198 affert. Legimus enim *Κυλλήνιος δὲ Ἑρμῆς, μυθικῶς μὲν ἀπὸ Κυλλήνης, ἥτις ὄρος ἐστὶν Ἀρκαδίας, σταδίων ἐννέα Ὀλυμπιακῶν, παρὰ ποδὰς ὀγδοήκοντα, καθὰ φασὶν ἱστορεῖν Ἀπολλόδωρον, ὀνομασθὲν ἀπὸ Κυλλήνης ἡρωΐδος τινός· περιᾴδεται δὲ διαφερόντως ἐν τοῖς περὶ τοῦτο τὸ ὄρος τιμᾶσθαι τὸν Ἑρμῆν, κἀκεῖθεν σχεῖν τὸ λεχθὲν ἐπίθετον.* Hoc loco Mercurium illud cognomen traxisse a Cyllene, Arcadiae monte, qui novem stadiorum Olympiacorum deficientibus pedibus octoginta a Cyllene aliqua appellatus esset, Eustathius Apollodoro auctore

docet. Item montem ab illa Cyllene nomen invenisse Stephanus Byzantius tradit s. v. *Κυλλήνη*: ubi haec exstant. „*Κυλλήνη ὄρος Ἀρκαδίας, σταδίων* [*Ὀλυμπιακῶν*] *ἐννέα παρὰ πόδας ὀγδοήκοντα* [*κατ' Ἀπολλόδωρον*]. *ἀπὸ Κυλλήνης Ναΐδος νύμφης .... καὶ Κύλλιος λέγεται Ἑρμῆς κατὰ συγκοπὴν τοῦ Κυλλήνιος*. Recte enim ita Meinekkius locum lacunosum emendavit et correxit ex loco Eustathii, quem sua ex Stephani loco petiisse nemo erit, qui neget. Intelligimus igitur ex utroque loco Apollodorum tradidisse e Cyllene monte, qui esset novem stadiorum Olympiacorum deficientibus pedibus octoginta, Mercurium cognomen invenisse. Sed valde dubito, num haec omnia sint Apollodori. Equidem existimo Stephani loco opus esse facili mutatione, ut, quae sint Apollodori, intelligatur. Valde enim mihi probabile est Eustathium, cum Stephani locum parum perspectum haberet, verba quoque, quae Stephani essent, Apollodoro assignasse. Facit enim Eustathius Apollodori illa quoque verba, quibus mons traditur novem stadiorum esse. Apollodorus autem videtur mihi nihil aliud tradidisse, nisi Mercurium Cyllenii nomen a Cyllene monte invenisse, cui a Cyllene aliqua hoc nomen esset impositum. Nam significare, qua altitudine sit mons, videtur mihi magis explicatoris terrarum esse quam ejus, qui fabulas sibi proposuerit exponendas ac illustrandas. Quae si ita sunt, si Meinekkius Stephani locum recte sanavit, post verba *παρὰ πόδας ὀγδοήκοντα* videtur mihi interpunctio facienda esse, ita ut verba *κατ' Ἀπολλόδωρον* referenda sint ad proxima *ἀπὸ Κυλλήνης Ναΐδος νύμφης*. Quo constituto cum Eustathius in Stephani loco nitatur,

per se ipsum perspicuum est Eustathii loco Apollodoro adjudicanda esse illa verba, quibus Mercurius dicatur Cyllenius appellatus esse a Cyllene monte, qui nomen a Cyllene aliqua traxisset. Sed nunc quaerendum est, quo loco haec ab Apollodoro sint exposita. Legimus in hoc opusculo III, 8, § 1 haec *τούτου (Πελασγοῦ) καὶ τῆς Ὠκεανοῦ θυγατρὸς Μελιβοίας, ἤ, καθάπερ ἄλλοι λέγουσι, νύμφης Κυλλήνης, παῖς Λυκάων ἐγένετο.* Confirmantur haec a Scholiaste Euripidis 1646, ubi haec leguntur „*Πελασγὸς γυναῖκα ἀγαγόμενος ἐπιχωρίαν* (adde *Κυλλήνην*) *ἀφ' ἧς τὸ ὄρος οὕτω καλεῖται, υἱὸν ἔσχε Λυκάονος.* Apud Pherecydem fragm. 85 (Fragm. Hist. Graec. Vol. I) exstant haec *Πελασγοῦ καὶ Δηϊανείρης γίνεται Λυκάων. Οὗτος γαμεῖ Κυλλήνην, νηΐδα νύμφην, ἀφ' ἧς τὸ ὄρος ἡ Κυλλήνη καλεῖται.* Si et quae in hoc opusculo leguntur, et quae a Scholiaste Euripidis allata sunt, inter se contulerimus, eadem fere duobus locis exstare, quis est, qui non miretur? Itaque Scholiastae locum in verbis, quae in hoc opusculo legantur, ita niti existimo, ut, quae in Scholio exstent, sint Apollodori. Quae si ita sint, si Scholiastae verba ex Apollodori opere desumpta sint, Apollodorus quoque a Cyllene montem nomen invenisse tradiderit necesse est. Quo constituto Stephanum quoque hunc Apollodori locum ante oculos habuisse patet. Ergo apud Apollodorum plura quam in hoc opusculo lecta esse intelligimus. Quod autem Stephanus Byz.[1]) s. v. *Κυλλήνη* tradit me-

1) Steph. Byz. s. v. *Κυλλήνη· ἐν τούτῳ δέ φασι τῷ ὄρει τοὺς κοττύφους λευκοὺς γίνεσθαι, ἄλλοθι δὲ μηδαμῇ, καὶ φωνὰς ποικίλας προΐεσθαι, θηρεύεσθαι δὲ πρὸς τὴν σελήνην, τὴν δὲ ἡμέραν εἴ τις ἐπιχειροίη δυσθηράτους εἶναι σφόδρα.*

rulas albas in illo monte esse, utrum haec Apollodoro adjudicanda sint, necne, certis testimoniis non possum confirmare: sed vereor, ne Heynius, qui haec Apollodori esse putat, cupidius egerit quam cautius.

Ad eundem Homeri versum, cui Eustathius illa subjecit, in Scholiis Odyss. haec adjuncta sunt. Schol. ad Odyss. ψ, V. 198 *Ἑρμῖν᾽ ἀσκήσας*]: *Ἑρμῆς ὁ Διὸς καὶ Μαίας τῆς Ἄτλαντος παῖς ἔτι ὤν, ἐν ἀνθρώποις τέσσαρα μέγιστα εὕρετο· γράμματα καὶ μουσικὴν, καὶ παλαίστραν, καὶ γεωμετρίαν. Ὅθεν καὶ τοὺς Ἕλληνας τετράγωνον αὐτὸν ἀσκῆσαι, καὶ οὕτως ἐν τοῖς γυμνασίοις ἀναθεῖναι. Τῷ δὲ ὀνειροπομπὸν αὐτὸν εἶναι, καὶ τοὺς κοιμωμένους αὐτῷ εὔχεσθαι, καὶ αὐτὸν ἀναμένειν, εἵλοντο ἐν τοῖς θαλάμοις ἔχειν αὐτὸν φύλακα τοῦ ὕπνου, ἐπινοῆσαί τε καὶ ἀσκῆσαι τοὺς τῶν κλινῶν πόδας εἰς τὴν τοῦ θεοῦ πρόσοψιν, ὅπως ἀλεξήτορας ἔχοντες ἰδέας* [Barnes. em. *ἰδίους*. Heunius mavult *ἀλεξήτορος* (sc. *θεοῦ*) Neutrum necessarium Muell.] *τὰ μὲν δείματα μὴ φοβοῖντο, προςδοκῷεν δὲ πλείστην ἐπαφροδισίαν διὰ τῶν ὀνειράτων. Ἡ δὲ ἱστορία παρ᾽ Ἀπολλοδώρῳ.* Hoc igitur loco Scholiastes Apollodoro auctore tradit et laudes, quibus maxime Mercurius floruerit, et cur illi, qui dormituri sunt, eum precentur. Sed quod dicit *ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Ἀπολλοδώρῳ*, ex eo perspicuum fit non ipsius Apollodori verbis eum usum esse. Jam vero Welckerus Episch. Cycl. pag. 90 ab Apollodoro hymnum in Mercurium, qui vocatur, in opus receptum esse docet. Et recte quidem: est enim in hoc opusculo fabularum, quae de Mercurio feruntur, mentio inchoata. Reperimus in bibliotheca III, 10, § 2—3 Mercurium et lyram et fistulam inve-

nisse atque praeconem et Jovis et deorum inferorum factum esse. Videmus igitur in hoc quoque opusculo Mercurium tradi in arte musica versatum esse. Neque minus illa, quae a Scholiasta Homeri allata sunt, ex hymno sunt petita. Legimus enim in hymno V. 14:

*καὶ τότ' ἐγείνατο παῖδα πολύτροπον, αἱμυλομήτην*
*ληϊστῆρ', ἐλατῆρα βοῶν, ἡγήτορ' ὀνείρων*
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
*ἀμφανέειν κλυτὰ ἔργα μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν.*

Quae cum ita sint, cum in hoc opusculo hymni in Mercurium, qui vocatur, mentionem esse inchoatam constet, illa autem, quae a Scholiaste Apollodoro auctore allata sunt, ex hymno illo petita sint, valde mihi videtur probabile esse Scholiasten sua petiisse ex Apollodori opere, ubi illa, quae in hoc opusculo breviter perstricta essent atque attacta, uberius copiosiusque explicata essent. Quo constituto Apollodori opus ab alio aliquo amputatum atque attenuatum esse per se ipsum perspicuum fit.

Heynius et hunc locum ex Scholiis ad Homerum petitum et illum Eustathii ex Apollodori opere, qui esset περὶ θεῶν inscriptus, desumptum esse opinatur. Ne commemorem nec Scholiasten nec Eustathium significare, unde illa petiverint, ne illa quidem ratio videtur mihi probanda esse, qua ductus haec illius operis esse opinetur. Ait enim Fragm. Apollod. pag. 387 haec „Si ea, quae ex hoc opere laudantur, inter se compares: apparet illud non minus grammaticum quam mythicum fuisse: fabularum interpretatione allegorica apposita,

magnam partem ex etymologia petita ..... Comprehenderat idem opus *περὶ θεῶν* multa de festis deorum et sacris, de sacrorum antiquitate, de religionibus et ritibus, de vocabulis sacrorum propriis et reconditis". Quod quamquam proprium est plurimarum reliquiarum, quae hujus operis esse dicuntur, tamen inde non licet colligere omnes Apollodori nomine apposito laudatos locos, qui hanc similitudinem prae se ferant, huc referendos esse. Memorantur enim in bibliotheca non modo dies festi deorum, sacra, religiones ritusque, sed etiam singula nomina grammaticorum more exponuntur. Quod eo minus mirum est, quod Apollodorum in fabulis exponendis ac illustrandis Euemeri rationem secutum esse constat. Huc accedit, quod hujus quidem utriusque loci, quem modo exposuimus, pars jam in bibliotheca memoratur: ut non possit dubitari, quin totos illos locos et Scholiastes et Eustathius ex eodem Apollodori opere desumpserint. Sed postea si exponemus, quid nobis videatur de Apollodori opere, cui nomen sit *περὶ θεῶν*, statuendum esse, oratio ad hoc redibit.

Veniamus nunc ad illa, quae in Scholiis ad Odyss. III, V. 91 Apollodori nomine addito exstant. Quae effugerunt et Heynium et Muellerum. Exstant enim haec: *ἐν Νάξῳ τὴν Ἀμφιτρίτην χορεύουσαν ἰδὼν Ποσειδὼν ἥρπασεν, ὅθεν ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων Ποσειδωνία ὠνομάσθη ἡ θεός, ὡς καὶ ἡ Ἥρα Διαίνη παρὰ Δωδωνείοις, ὡς Ἀπολλόδωρος.* In hoc, quale nunc est, opusculo legimus haec I, 4, § 6 *Ποσειδὼν δὲ Ἀμφιτρίτην τὴν Ὠκεανοῦ γαμεῖ· καὶ αὐτῷ γίνεται Τρίτων καὶ Ῥόδη, ἣν Ἥλιος ἔγημε.* Quem locum si cum illis, quae a Scholiaste

allata sunt, contulerimus, Scholiastae verba locum apud Apollodorum habuisse, ubi in hoc opusculo Amphitrite memoraretur, intelligemus. Quae cum ita sint, cum in hoc opusculo pauciora tradantur quam in illo scholio, non potest fieri, ut hoc opusculum sit illud, quod ab Apollodoro est compositum.

Quid? illa, quae in Scholiis Euripidis Apollodoro auctore leguntur, unde desumpta sunt? Legimus enim in Schol. Euripidis ad Rhes. V. 36 haec de Pane tradita: *ἀλλ' ἢ Κρονίου Πανός] τὸν Πᾶνα οἱ μὲν [Πηνελόπης] φασὶ Καλλιστοῦς καὶ δύο παῖδας γενομένους, ἀφ' ἧς ὄρος Κυλλήνης, ἄλλοι δὲ Ἀπόλλωνος καὶ Πηνελόπης, ὡς καὶ Εὐφορίων, ὃν ἔθρεψαν νύμφαι· διὸ καὶ νυμφαγν ..... αὐτόν φησι, τραφέντα παρ' ἐκείναις. Ἀρίαιθος δὲ ὁ Τεγεάτης Αἰθέρους αὐτὸν καὶ νύμφης Οἰνόης γενεαλογεῖ· ἔνιοι δὲ Ὀρσινόης νύμφης καὶ Ἑρμοῦ, Ἐπιμενίδης δὲ Καλλιστοῦς καὶ Διὸς παῖδας γεγενῆσθαι Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους. Μνασέας δὲ ξενικώτερον ἀφηγεῖται τὰ περὶ Πᾶνα, ἢ ὅτι παλαιός ἐστιν, Αἰθέρος γενεαλογούμενος (Κρόνους δὲ καὶ Κρονίους τοὺς πάνυ ἀρχαίους ἔλεγον) ἢ πατρωνυμικῶς, ὅτι Διός, ὡς τὸν Ἀχιλλέα Αἰακίδην. Αἴσχυλος δὲ δύο Πᾶνας τὸν μὲν Διός, ὃν καὶ δίδυμον, τὸν δὲ Κρόνου. περὶ δὲ τῶν αἰφνιδίων φόβων ταραχὴν ἀνῆψαι Πανὶ διὰ τοὺς ἤχους τοὺς ἐν τοῖς ὄρεσι γενομένους, ἔνθα ὁ Πὰν ἅμα ταῖς νύμφαις συρίζει, ὡς καὶ Ὀδυσσεύς.* Odyss. VI, 222.

*ἄλλως· περὶ τῶν Πανικῶν λεγομένων κινημάτων Ἀπολλόδωρος τὴν αἰτίαν ἐκτίθησι ταύτην· τὰ ὄρη καὶ αἱ νάπαι καὶ πάντα τὰ ὕπαντρα τῶν ὀρῶν ἐστιν ἠχώδη, ποικίλων καὶ παντοδαπῶν φωνῶν ἐν τοῖς ὄρεσι γενομέ-*

*νων ὑπό τε κυνηγῶν καὶ ζῴων ἡμέρων τε καὶ ἀγρίων· ἠχοὶ δὲ μιμητικοὶ γίνονται τούτων. ὅθεν πολλάκις τινὲς τὰ μὲν σώματα τῶν φωνούντων οὐχ ὁρῶντες, αὐτὴν δὲ μόνην τὴν προςπίπτουσαν φωνὴν, φασὶ Πᾶνα σὺν ταῖς νύμφαις ἐν τοῖς ἄντροις μετ' αὐλῶν καὶ συρίγγων φωνεῖν.* Quo ab loco non multum differunt illa, quae a Servio ad Virg. Georg. I, 18 de Pane traduntur. Exstant enim illo loco haec „Apollodorus eum sine parentibus sinit, quoniam universum i. e. *τὸ πᾶν,* huic deo sit attributum. Cornua, quae Solis Lunaeque designantur: pellis maculis distincta, quae variam designat imaginem siderum: inferior pars hirsuta, ut situs terrae. Cum fistula est, quoniam flatus ventorum oriuntur. Metus vero ad repentinas fugas Panicus pro subitaria aëris commotione". Videmus igitur si duos locos inter se contulerimus, Apollodorum id tetendisse, ut ea, quae homines de vi ac natura Panis opinati essent, more grammaticorum et Euemeri quidem interpretaretur. Sed quaerendum est, unde haec, quae de Pane ab Apollodoro tradita essent, et Scholiastes Euripidis et Servius desumpserint. Atque uno loco in bibliotheca Pan commemoratur ab Apollodoro. Narratur enim I, 4, § 1 (3) Apollo esse ad artem divinandi institutus atque imbutus a Pane, qui Jove et Thymbre natus esset; verba haec sunt *Ἀπόλλων δὲ τὴν μαντικὴν μαθὼν παρὰ τοῦ Πανὸς τοῦ Διὸς καὶ Θύμβρεως ἧκεν εἰς Δελφούς.* Quo loco quamquam in omnibus fere codicibus non exstant verba *παρὰ τοῦ Πανὸς,* sed *παρὰ τοῦ πατρὸς,* ut Apollo dicatur a Jove divinandi artem didicisse, Aegii tamen conjectura, qui *παρὰ τοῦ Πανὸς* edidit, est tuenda ac

defendenda. Egregie enim illius sententia eo confirmatur, quod a Scholiaste Pindari in argum. Pythior. dicitur *ἔμαθε (Ἀπόλλων) δὲ καὶ τὴν μαντικὴν τέχνην ὑπὸ τοῦ Πανός.* Sed nullo modo potest fieri, ut illa Apollodori verba hoc loco exstitisse statuamus, cum de Apolline, a quo ad artem divinandi institutus sit, disseratur, non de Pane, quae sint a poëtis ficta, quomodo interpretanda sint. Huc accedit, quod illa, quae a Servio Apollodori nomine apposito afferuntur, et haec, quae in bibliotheca leguntur, videntur inter se pugnare atque discrepare, cum hoc loco Pan tradatur Jove et Thymbre ortus esse, illo nullis usus esse parentibus. Sed priusquam longius progrediamur, illa, quae a Scholiaste Euripidis allata sunt, liceat mihi diligentius contemplari. Sunt enim verba, quae in scholio leguntur, duorum Scholiastarum, quorum alter variis sententiis, quae de Panis parentibus in medium allatae sunt, enumeratis brevi de repentinis Panis timoribus, qui vocantur, nullo nomine addito disserit, alter diffuse, quomodo illa *κινήματα Πανικά* sint interpretanda, Apollodoro auctore explanat. Collatis inter se et illis, quae apud Servium exstant, et illis, quae ab altero Scholiaste allata sunt, non dubitari potest, quin uterque ex eodem Apollodori loco sua petiverit. Atque eadem ratio videtur mihi intercedere inter prioris Scholiastae locum et inter illa, quae apud Servium leguntur. Prioris enim scholii ultima pars cum Servio congruit, cum utroque loco de repentinis timoribus, qui vocantur, disseratur. Atque cum Servius dicat Apollodoro visum esse Panem nullis usum esse parentibus, videor mihi posse colligere Apollodorum ex-

positis variis sententiis, quae de illius parentibus ferrentur, suam sententiam in medium attulisse. Item hoc prioris scholii loco variae sententiae, quae de illius parentibus editae sunt, enumerantur. Quae cum ita sint, verba prioris quoque Scholiastae in eodem Apollodori loco niti, unde et Servius et alter Scholiastes sua desumpserint, apparet. Quamquam, utrum omnes sententiae, quae a Scholiasta de Panis parentibus enumerantur, sint Apollodori, necne, certis testimoniis non possum dijudicare. At rectam esse illam sententiam potest ex illis intelligi, quae in Scholiis ad Theocrit. Idyll. I, V. 3 leguntur. Exstant enim haec: *ΠΑΝΑ. τὸν Πᾶνα οἱ μὲν λέγουσιν υἱὸν Πενελόπης καὶ πάντων τῶν μνηστήρων, καὶ διὰ τοῦτο λέγεσθαι καὶ Πᾶνα. Ἐπιμενίδης δὲ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ Διὸς καὶ Καλλιστοῦς, Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα, διδύμους. Ἀρίστιππος δὲ ἐν τῷ Ἀρκαδικῷ, Διὸς καὶ Νύμφης Οἰνηΐδος, οἱ δὲ λέγουσι διὰ τοῦτο Πάν, ὅτι τῆς ὥρας ἐστὶ σημεῖον, τουτέστι, τοῦ παντός. ὅθεν κυρίως προςαγορεύεται Πάν. συνοικειοῦται γὰρ ἡ μορφὴ τοῦ θεοῦ τῷ περιέχοντι, καὶ τὸ μὲν τῶν κεράτων απομίμημα ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ μηνίσκους φασὶν εἶναι· τὸ δὲ πάρδαλιν ἐνῆφθαι, τῆς γῆς φαντασίας εἵνεκα· τὰ δὲ κάτω λάσια, τῶν τῆς γῆς μερῶν καὶ τῶν ἐν αὐτῇ πεφυκότων· τὴν δὲ σύριγγα, τῶν ἐν τῷ κόσμῳ πνευμάτων μίμησιν εἶναι· τὸ δὲ αἰγωπόν, τῶν καταιγίδων τὰς αἰφνιδίους ταραχὰς καὶ τῶν ἀπὸ νεφῶν γενομένων περὶ τὸν ἀέρα μεταβαλῶν.* Quo loco quamquam nomen Apollodori non est laudatum, tamen cum eadem fere, quae apud Servium, exstent, ex Apollodori opere haec desumpta esse valde probabile est. Quod si statuimus,

Apollodorum varias quoque sententias, quae de Panis parentibus editae essent, enumerasse intelligemus. Quo ita constituto redeamus ad illud, unde oratio nostra processit. Quaerendum igitur erat, ubi haec, quae a Scholiastis et a Servio allata essent, locum habuissent. Equidem existimo eodem loco haec lecta esse apud Apollodorum, ubi in opusculo, quod habemus, fabulae Arcadicae exponerentur. Nam et Scholiastes Euripidis et Scholiastes Theocriti tradunt Panem et Arcadem natos esse Jove et Callistone. Idem a Scholiaste Theocriti ad Idyll. I, V. 123 traditur, ubi haec exstant *τὸν δὲ Πᾶνα οἱ μὲν Πηνελόπης καὶ Ὀδύσσεως ἢ Ἑρμοῦ, ἄλλοι δὲ Διὸς καὶ Καλλιστοῦς, ἕτεροι δὲ Αἰθέρους καὶ Οἰνηΐδος ἢ Νηρηΐδος:* deinde eodem loco legimus Panis oraculum fuisse in Lycaeo, Arcadiae monte. Pausanias pag. 652 § 2 *ἔστι καὶ ναὸς ἐν τῇ Ἡραίᾳ Πανὸς ἅτε τοῖς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίου.* Quibus rebus inter se collatis illa, quae de Pane ferantur, numeranda esse in fabulis, quae sint Arcadiae, quis est, qui non intelligat? Heynius ait in Observ. ad Apollod. pag. 261 „Fabulae Arcadiae sunt eae nec numero multae nec celebres, nisi quae Jovem et Mercurium attingunt, forte et quae ad Lunam et Panem spectant“. Quae cum ita sint, valde probabile est, haec ab Apollodoro esse eo loco commemorata, ubi fabulae Arcadicae exponerentur. Commemorantur autem in hoc opusculo cum aliae fabulae Arcadiae, tum illae, quae de Callistone et Arcade feruntur III, 8, § 2 (2—5). Ex quo efficitur, ut illa quoque, quae in Schol. Eurip. Rhes. V. 36 et apud Servium ad Virg. Georg. I, V. 18 legerentur, hoc loco exstitisse apud Apollodorum, ubi in

hoc opusculo fabulae Arcadiae legerentur, jure nostro videamur posse colligere.

Ut igitur brevi comprehendam, quae mihi videor esse assecutus, hi tres loci, quos modo exposuimus, sunt illarum fabularum, quae Arcadicae vocantur: deinde intelleximus haec, quamquam in opere ab Apollodoro confecto exposita essent eo loco, ubi fabulae Arcadicae commemorarentur, tamen in hoc opusculo locum non habuisse. Quae cum ita sint, cum fabulae Arcadicae in hoc opusculo non tam copiose expositae sint, quam apud Apollodorum, quis est, qui illam sententiam retineat ac defendat hoc opusculum esse ab Apollodoro ipso compositum?

# VITA.

Hermannus Carolus Ludovicus Funk natus sum Fridlandiae XVIII a. C. Maj. a. h. s. XLIV patre Adolfo, matre Aemilia, de gente Schmidt, quos etiam nunc vivere atque adeo vigere vehementer gaudeo. Christianis adscriptus sum quos dicunt evangelicis. Praecipuo deinde fati beneficio mihi contigit, ut quo patre, eodem uterer praeceptore. In illustre gymnasium Fridlandiense receptus a Roberto Ungero, summo viro, cujus auspiciis gymnasium florebat et etiamnunc floret, usque ad annum LXV institutione praeclarissimorum virorum fructus sum. Maturitatis examine superato Bonnam me contuli, ubi studiis cum philologicis tum historicis operam darem, et praeceptoribus usus sum Bernays, Brandis, Jahn, Knoodt, Ritschl, Schaefer, de Sybel, Usener. Praeterea benevolentia Schaeferi et de Sybelii contigit mihi, ut per tria semestria seminarii regii historici sodalis essem ordinarius. Deinde Berolinum migravi, ubi me advenam Aemilius Huebnerus, vir doctissimus, in societatem philologicam recepit parique benevolentia per annum et dimidium exercendis viribus meis operam dedit. Ex eo autem numero, qui in hac litterarum sede praeceptorum munere funguntur, audivi per tria semestria Haupt, Huebner, Jaffé, Kirchhoff, Koepke, Trendelenburg. His omnibus viris, quorum sempiterna apud me erit memoria, summas gratias ago.

# THESES.

1. Thuc. III, 56. videtur mihi legendum esse „ἢ τῶν συμμάχων τοῖς ἀγαθοῖς ὅταν ἀεὶ βέβαιον τὴν χάριν τῆς ἀρετῆς ἔχουσι καὶ παρὰ τὸ αὐτίκα που ὑμῖν χρήσιμον ὠφέλιμον καθίστηται“.
2. Thuc. III, 63. scribendum est „καίτοι τὰς ὁμοίας χάριτας μὴ ἀντιδιδόναι αἰσχρόν, μᾶλλον δὲ δὴ τὰς μετὰ δικαιοσύνης μὲν ὀφειληθείσας, ἐς ἀδικίαν δὲ ἀποδιδομένας“.
3. Thuc. II, 32. post verba οὔτε γὰρ Λακεδαιμόνιοι καθ᾽ ἑκάστους videtür mihi verbum λόχους addendum esse.
4. Tac. Hist. III, 12. particula „at“ quae in Bipont. et apud Gutmannum legitur, ante verba „classis Cornelium etc.“ videtur retinenda esse.
5. Recte videtur mihi Giesebrecht statuisse anno 974 p. Chr. Ottone II imperatore vitam Mathildae reginae compositam esse.

